P. Pétursson:

Commentatio

de jure eccl. in Islandia

COMMENTATIO

DE JURE ECCLESIARUM IN ISLANDIA ANTE ET POST REFORMATIONEM,

AUCTORE

PÈTUR PÈTURSSON,

LICENT. THEOL., PRÆPOSITO TOPARCHIÆ SNÆFELLSNESENSIS ET HNAPPADALENSIS, PASTORE ECCLESIÆ STADASTADENSIS.



HAVNIÆ.

SUMTIBUS LIBRARIÆ *SCHUBOTTIANÆ*.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA *QUISTII*.

MDCCCXLIV.

CONSPECTUS ARGUMENTI.

INTRODUCTIO.

§ 1.

De hujus opusculi consilio et ratione.

Qvi in ecclesiam islandicam attentos oculos converterit, facile sibi persvadebit, multa ei esse propria et peculiaria, qvorum primaria causa in ipsius explicatione qværenda sit. Hanc vero ecclesiæ formationem examinanti, in hoc vel illo temporis momento subsistere non licebit, cum singulæ res præviis innitantur et cum iis ita cohæreant, ut, qvando ad antiqvissima tempora perventum fuerit, in reipublicæ islandicæ statu et sacris gentilium typus ille demum reperiatur, qvi externam ecclesiæ christianæ faciem et formam primitus constituerit. Jam vero mirum fuisset et ab ecclesiæ catholicæ ingenio prorsus alienum, si templorum sacrorumqvę in Islandia originem a laicis tantummodo provocatam, sibiqve non subjectam, sereno vultu adspicere potuisset,

nec ecclesiæ istius speciem ad imaginem sui ipsius formare tentasset. Qvemadmodum igitur hoc non exspectandum fuit, ita nec post interitum reipublicæ evitari potuit, qvin cleri imperium per Islandiam magis magisqve inundans singulis rebus ecclesiasticis notam catholicam sensim imprimeret, easqve sub suam potestatem redigeret; unde factum est, ut, renitentibus laicis et jura sua vindicare studentibus, in ecclesia motus illi provocarentur, qvorum qvidem superficies cleri victoria ante Reformationem complanata fuit, qvi tamen interius adhuc ferventes, data occasione, singulas ecclesiæ partes concusserunt, donec in hodiernis legum formis qvieverunt. Hæc generalia ecclesiæ islandicæ lineamenta in hac de templis dissertatione per singula eundo depingere studui, ideoqve primum antiqvissimam templorum originem et statum sacrorumqve administrationem descripsi, ut inde pateret, qvænam potissimum jus patronatus efficerent; cui deinde repugnantia ecclesiæ catholicæ principia, et simul controversiæ de hoc inter clerum privatosqve templorum dominos ortæ, sive litis præbendariæ, historiam exposui, eorum imprimis ratione habita, qvæ ad primitivam formam harum rerum mutandam præ ceteris contulerunt; deniqve mutatam per Reformationem ecclesiæ administrationem adumbravi, ut inde appareret, qvatenus partes, temporibus catholicis inimicæ, jam conciliatæ sint.

§ 2.

De illius fontibus.

De antiqvissimis Islandiæ institutionibus disputaturo, ad veteres historias, qvæ vulgo *sögur* (sagæ) audiunt, assiduo recurrendum est, singulæqve inde res eliciendæ, hinc illinc colligendæ necnon in ordinem redigendæ; cum vero hæ narrationes in iis, qvæ per aliqvod temporis spatium, aut in tota Islandia, aut in certis regionibus evenerint, recitandis plerumqve versentur, vel etiam singulorum hominum vitas tractent, ipsæ institutiones tenebris haud raro obvolvuntur, nec nisi obiter perstringuntur, qvod nominatim de primis in Islandia templis conditis valet. Qvamvis igitur plerasqve istas historias diligenter perlegerim, pauca tamen in iis, qvæ initiis templorum islandicorum describendis inservirent, deprehendi, si *Kristnisagam*, *Arii Schedas*, *Hungrvakam*, et aliqva ex parte *Olavorum*, Trygini et Sancti, Norvegiæ regum, *vitas* exceperis; reliqvæ historiæ, si qva inde repetita fuerint, suis locis laudatæ sunt; ex. gr. *Landnámasaga*, *Eyrbyggjasaga*, *Vatnsdælasaga*, *Sturlunga*, *Grettla* etc. Qvando autem leges consvetudines avitas mutare, easdem accuratius definire atqve præscribere incipiunt, caligo institutionibus, ab historia non illustratis, incumbens, sensim sensimqve dissipatur; sic utrumqve *Jus ecclesiasticum Thorlaco-ketillianum* et *Arnæanum*, qvæ alias *Vetus* atqve *Novum* appel-

lantur, antiqvo templorum islandicorum statui enucleando haud parum lucis affundunt. His igitur scrutandis, assiduo inter se conferendis et utriusqve præceptis in usus meos vertendis multum studii temporisqve impendi, qvæ res tanto majoris erat cautionis, qvo magis de illorum, qvantum qvid inter se differentium, auctoritate et vi obligante disceptatum fuit. Illas vero disputationes hoc loco recensere supersedemus, cum in eas diligentius inqvirendi infra cap. 4 § 6 occasio sese offerat. Neqve in his subsistere mihi licuit, mei enim instituti ratio reqvirebat, ut inter laudata jura ecclesiastica, aliaqve maxime norvegica necnon edicta regum Norvegiæ, Islandis data, qvantum fieri posset, comparatio institueretur. Qvod jus ecclesiasticum Vetus attinet, est hoc jus omnium in septentrione, si Canuti Magni Danis datum excipias, qvæ ad nos integra pervenere, antiqvissimum. [1]) Illud Thorlacus Ru-

---

[1]) Utrum Islandi antea jure ecclesiastico *Grimkeliano*, cui rex Olaus Sanctus, a Grimkelo episcopo aliisque doctis concinnato, in Norvegia vim legis conciliaverat, usi fuerint, de eo historicorum inter se discrepant sententiæ. Qvi hoc affirmant, præcipui sunt: F. Johannæus Hist. Isl. eccles. T. I. p. 74, 79, 106, Joh. Erici in comment. de expositione infantum § 6, p. 210, edit. 2dæ, qvæ annexa est Gunnlaugi Ormstungæ sagæ; hos secuti sunt Kongslevius in *danske og norske pr. Rets förste Gr.* 1, p. 198, et Thorkelinus in præfatione ad Jus eccel. isl. Vetus p. X et XI. Verum hoc Schlegel in commentatione legum codici *Grágás* P. 1, præfixa p. 31—33 satis ponderosis argumentis in dubium voca-

nolphi filius episcopus Scalholtensis, Gissuriqve Isleifi filii successor et Ketillus episcopus Holanus (inde ab anno 1122), svadente archiepiscopo Össuro, cujus jurisdictioni Islandia cum toto orbe boreali tum subjecta fuit[2]), Sæmundi Polyhistoris aliorumqve prudentium virorum consilio et auctoritate concinnarunt, et in foro generali 1123 recipiendum curarunt.[3]) Hoc jus magnam partem e fontibus

---

vit. Criticam hujus rei disqvisitionem instituere ad scopum nostrum non pertinet opusqve perqvam difficile erit, cum hoc jus ecclesiasticum norvegicum non amplius seorsim exstet, sed in legem Gulensem migrasse videatur, in qva posterioribus temporibus haud pauca mutata sunt; id autem pro certo affirmari potest, statum Norvegiæ tunc temporis ecclesiasticum ab islandico multum discrepasse, si qvidem Islandi mox lubenter decimas episcopis, templis, pastoribus ac pauperibus solverunt, sed Norvegi demum intra annos 1120 et 1130, regnante Sigurdo Hierosolymipeta; cfr. ejus Historiam cap. 23.

[2]) Hic Össurus, qvi alias Adzerus vel Ascerus nominatur, fuit primus Danorum archiepiscopus.

[3]) Schlegel in commentatione *Grágás* præfixa p. XXXI non dubitandum videtur, qvin nomophylax Thorgeirus Gudmundi filius huic juri operam suam præstiterit et in eo condendo aliqvas partes habuerit; cum summa juris ecclesiastici cum civili convenientia manifesta sit formaqve ordinis judiciarii eadem, episcoporum deniqve et cleri jurisdictio intra certos fines cohibeatur. Verum e similitudine juris utriusqve identitas auctorum non necessario seqvitur, cum inde etiam derivari possit, qvod e consvetudinibus, eodem tempore in iisdem regionibus receptis, utrumqve conflatum est; nec aliunde probari potest, studium hierarchiæ promovendæ tum

domesticis sacris atqve civilibus, necnon ex normis ecclesiæ catholicæ tum receptis haustum est. Jus ecclesiasticum Novum Arnas Thorlaci filius episcopus Shalholtensis, instinctu ac mandato Jonæ archiepiscopi, anno 1274 conscribi curavit [4]), cujus operis

---

in Islandia in tantum excrevisse, ut ad id infringendum aut cohibendum civili manu opus esset. Ad hæc obiter tantum monita accedit silentium historicorum de partibus nomophylacis istius in hoc jure ecclesiastico condendo. Hos enim sui conditores ipsum Jus eccl. Vet. (edit. Thorkelli) p. 140 profitetur: "Episcopi Thorlacus et Ketillus hoc jus ecclesiasticum, uti nunc recensitum et rogatum est, auspiciis Össuri archiepiscopi necnon Sæmundi et multorum aliorum sacerdotum condiderunt." Et *Hungrvaka* cap. XI de ejus conditoribus hunc in modum loqvitor: "Dum Thorlacus episcopus in vivis erat, id opera sua effecit, ut juris ecclesiastici libellus componeretur et literis mandaretur, prudentissimorum in Islandia virorum provida cura, Össuriqve archiepiscopi auspiciis, cui rei disponendæ ambo adfuere episcopi Thorlacus et Ketillus, qvi et multa alia, dum vixerunt, ad mores civium formandos spectantia, statuerunt atqve sanciverunt."

[4]) F. Joh. in Hist. Eccl. T. 1, p. 547 sqq. copiose illorum sententiam refellere studet, qvi statuunt, jus ecclesiasticum, qvod Jonas archiepiscopus Norvegis obtrusit, idem esse ac qvod Arnas in Islandiam introduxit; qvibus hæc pauca addimus: Ne cui fucum faciant verba in edit. Thorkell. huic juri præfixa: *her byrjar upp hinn nyja christinsdóms Rett, þann er herra Jón erkibiskup saman setti ok lögtekinn er um Schalholz biskupsdæme* (ɔ: Hic incipit novum istud jus ecclesiasticum, qvod dominus Jonas archiepiscopus composuit qvodqve receptum est in diœcesi Schalholtensi), monendum est, hæc verba recentiore manu a

præcipui fontes sunt: 1. Jus ecclesiasticum Vetus, síve Thorlaco-Ketillianum. 2. Jura ecclesiastica norvegica ɔ: jus eccl. Gulathingense Olavi Sancti, Frostathingense, necnon jus eccl. codici Tunsbergensi præmissum. 3. Jus canonicum, qvod sæpius laudat *Guðs lög* ɔ: leges divinas; *heilagra feðra setnínga* ɔ: Sanctorum patrum statuta; *lögbók heilagrar kirkiu* ɔ: codicem legum sanctæ ecclesiæ. 4. Decretales cum apparatu ɔ: collectio Decretalium a Reymundo de Penna Forti 1229 in qvinqve libros

librario anno 1363 addita esse, nec aliud significare posse, qvam qvod archiepiscopi instinctu conscriptum sit et ab eo deinde confirmatum. Cum hoc etiam conferenda est *Árna biskups saga* cap. 10, ubi hæc sermone islandico leguntur: "Arnas episcopus etiam novit, Jonam archiepiscopum novum jus ecclesiasticum esse conditurum, qvod qvoqve fecit, illumque sibi eadem ratione in Islandia versari, qva in Norvegia progrederetur, præcepisse. Ab ipso etiam archiepiscopo percipere cupiit, qvænam ei viderentur e vetere Islandorum jure ecclesiastico retinenda esse, qvæ omittenda, aut juxta qvosnam libros ea, qvæ addi deberent, concinnanda. Et enm archiepiscopus hoc ejus desiderium agnovisset, totam ei mentem suam revelavit, simulqve (monuit) laicis interdicendum, ne de rebus ecclesiasticis jus dicerent, qvod, dum vixerunt, uterqve fecit." cfr. etiam cap. 14. ɔ: "Eadem hyeme episcopus jus ecclesiasticum auspiciis Jonæ archiepiscopi absolvit, cui deinde recipiendo institit, prouti infra narrabitur." Ex his, qvæ allata sunt, apparere videtur, jus istud ecclesiasticum Arnæ auctori, sed Jonæ auctoritati tribui. Attamen hoc ita non intelligendum est, ac si Arnas episcopus e mente sua omnia hauserit nec aliunde qvicqvam petierit, cum ad ipsos operis fontes redire qveamus.

congesta, qvi hodie vulgo Extravagantes nominnatur.[5]) Præter hæc jura ecclesiastica cum codicibus legum civilium, *Grágás* et *Jónsbók* dictis, qvandoqve comparata, episcoporum qvoqve *Thorlaci Thorhallii*, vulgo Sancti, et *Arnæ Thorlaci* filii, *vitæ*, cum *F. Johannæi Hist. Isl. ecclesiastica T. 1—2* collatæ, insignem in præbendaria lite tractanda, operam mihi præstiterunt. Seqventium deinde episcoporum catholicorum *Statuta* tam ad hierarchiæ, qvam ad templorum historiam enodandam haud parum conducunt. Omnia deniqve *edicta rescriptaqve regia*, statui juribusqve templorum constituendis, *post Reformationem* Islandis data, consultum adii, qvod tanto leviore negotio facere potui, qvanto plus studii tabulariis Collegiorum regiorum biennio abhinc lustrandis adhibui. Qvamvis autem tali apparatu historico instructus sim, tantum tamen abest, ut me ideo oneri imparem fore verear, ut multo potius me adminiculis passim hiulcis fultum esse sentiam; qvod imprimis de seculis 14to et 15to valet;

---

[5]) In Vita Arnæ episcopi cap. 5 Decretalium his verbis mentio facta est: "Arnas, postqvam a laudato archiepiscopo episcopus inauguratus est, itineri in Islandiam suscipiendo se accinxit, et ab codem archiepiscopo hoaorifice deductos, Decretales cum apparatu, cev amicitiæ signum, reportavit." His Decreta Gratiani fuisse conjuncta, indicare videtor appendix juris Arnæani cap. 6, p. 228. Ad hos qvoqve fontes accedunt complurium conciliorum canones in corpore Juris canonici hodierni non occurentes; cfr. Jus Arn. pag. 41 Nota 58.

hoc enim temporis spatio historiæ islandicæ tractatio in sterilibus et qvasi inanimatis annalium cadaveribus obtorpuit, nullisqve fere hujus ætatis, si qva alias lucem viderint, monumentis historicis, exceptis tantummodo Norvegiæ regum edictis et qvibusdam archipræsulum episcoporumqve statutis, temporis injuria pepercit, qvorum, qvæ exstant, pleraqve in F. Johannæi Hist. eccl. Islandiæ congesta sunt. Qvamdiu historia totius alicujus terræ narratur, subsidiorum, ad unam alteramve rem pertinentium, copia non tam desideratur, qvam si rei illius historica criticaqve tractatio instituenda sit; qvæ igitur F. Johannæus sine magno historiæ damno leviter transilire potuit, me de templis seorsim disputantem, graviter opprimunt. Rem qvoqve alio respectu arduam me subiisse, probe nosco; Islandiæ qvippe antiqva conditio adeo singularis est, ut periculum sit, ne harum rerum peritis parum novi attulisse, aliis vero fortasse rem non satis luculenter exposuisse videar, qvod si omnino evitare mihi non contigerit, utrisqve tamen pro virili satisfacere studebo.

Cap. 1.

DE TEMPLIS CONDITIS.

§ 1.

De fanis gentilium eorumque conditione.

De templis islandicis acturi, inqviramus, qvænam ibi sacra antea fuerint instituta, cum ex his

ad illorum originem describendam haud pauca repeti possint. Postqvam delubra, qvæ initio pauca fuisse videntur, apud veteres in septentrione gentiles exstrui cæpta sunt, vix probari poterit, certum e populo ordinem, cui ministerium eorum demandaretur, electum fuisse. Primum in Svecia Sigtuni fanum Odinus et alterum deinde Uppsaliæ Freyus exstruxisse feruntur, qvorum uterqve templo suo præfuit omnesqve illius reditus accepit. Sensim vero viri opulenti fana in prædiis suis condere cæperunt, qvæ cum reditibus pleno jure possidebant, qvorumqve ipsi antistites erant. Fundus et prædium, necnon sacrorum cura ad delubri possessorem pertinere solebant. Hæc fana hæreditaria fuerunt, sed tamen venditione, emtione, donoque alienari potuerunt. In nonnullis qvoqve levioris momenti traditionibus mulieres sacra obiisse perhibentur; nec tamen fanis præfuerunt[6]), nec ea possederunt, excepta Freya, qvæ post mortem Freyi sacra delubrumqve Uppsaliense curasse dicitur. Pleriqve Sveciæ reges a Freyo genus duxerunt et Uppsaliam

[6]) Sacrorum cura mulieribus non demandabatur, nisi qvando dearom aliqva colenda esset, cujus cultus fæminæ, et qvam sæpissime pontificis filiæ, concreditus est. Si fides habenda est Hervararsagæ cap. 1, rex Alfus pontificis partes egit, sed, qvia dea colenda fuit, filiæ, Alfhildæ mandavit, ut sangvioe simulacrum adspergeret; cfr. etiam ***Friðþjófs saga frækna*** cap. 6, ubi sacerdotum uxores sacrificiis, ***Dísablót*** vocatis, sive in honorem ***Dísarum*** faciendis, adfuisse dicuntur.

unacum templo omnibusqve illius bonis usqve ad Ingjaldum Illradum hæreditate acceperunt. Eandem in Norvegia consvetudinem obtinuisse, ex iis inter alia colligi potest, qvæ Snorro Sturlonis de templo Hladensi memoriæ prodidit. Si hinc in Islandiam oculos convertimus, primi hujus terræ occupatores, ut reliqvos majorum mores et consvetudines, ita qvoqve avitam religionem et deorum cultum e Norvegia in Islandiam transtulerunt, delubraqve passim exstruxerunt, qvibus æqve ac toti circumjacenti regioni magnam sanctitatem addixerunt. Hujus rei duo insignia occurrunt exempla; unum Thorhalli Grandævi, fani Mæriæ in Norvegia antistitis, qvi cupiditate in Islandiam transmigrandi ductus, fanum primo destruxit, sed humum et columnas secum vexit; ubi autem in sinu *Stöðvarfjörðr* appulit, toti sinui eandem, qvam in Mæria observari fecerat, sanctitatem addixit[7]); alterum Thorulfi, cognomine *Mostrarskegg*, qvi circa annum 880 e Norvegia in Islandiam trajecit, destructoqve fano, Thoro dicato, et plurimis, qvibus constiterat lignis, terraqve, qvæ pulvinari suberat, in qvo consederat Thorus, secum deportatis, apud *Hofsvogum*, in occidentali Islandiæ qvadrante situm, ingentem villam condidit *Hofstadis* ibiqve fanum erigi curavit, ubi antes, sive columnas supremæ sedis, qvæ in fano fuerant, qvarumqve alteri insculptus erat Thorus, collocavit, intra

---

[7]) cfr. *Landnámasaga* ed. Havn. 1774 P. IV. cap. 6.

qvas sanctissimum asylum esse putabatur. Thorulphus hicce lingulam inter sinum *Vigrafjörðum* atqve *Hofsvogum Thórsnes* appellavit, stantemqve ibi monticulum, maxima ex parte præruptum, *Helgafell* vocatum, tanta coluit religione, ut lege caveret, ne qvis illotus oculos in eum conjiceret, ullumve animal ibi necaretur, nisi ultro discederet[8]). Qvod ipsorum fanorum, in Islandia conditorum, statum attinet, brevi locupletari coeperunt, cum et ipsi conditores[9]) et alii[10]) bona mobilia et immobilia iis assignarent, omnesque provinciales tributum iis penderent, qvod delubri domino colligendum fuit; qvantum autem hoc tributum fuerit, memoriæ nusqvam proditum reperi. Primitivus fanorum numerus, accedentibus præterea sacellis domesticis, inde computari potest, qvod Islandia in qvadrantes divisa fuit, et constitutum, ut tria fora in singulis qvad-

[8]) cfr. *Eyrbyggjasaga* cap. 4. De sanctitate fanorum et vocabulo *fiörbaugsgarðr* consuli potest F. Johannæi Hist. Eccl. T. I, p. 138 sqq. et *Vatnsdælasaga* cap. 25, ubi legimus, eum, qvi gladio cinctus fanum intraret, eum commisisse.

[9]) cfr. *Landnámas.* P. IV. cap. 2. Ubi legitur pars planitici inter Thorsteinum Torfium et Haconum non occupata fano assignata fuisse; et P. V. cap. 3, ubi tractus qvidam terræ igne lustratus fano adjectus fuisse perhibetur.

[10]) Alios qvoqve fana locupletasse, ut aliunde, sic e *Schedis* apparet, ubi Arius *fróði* (Polyhistor) memoriæ prodidit, Ulfliotum, vel socium ejus Grimom, pecuniam pro prima fori generalis legumqve institutione acceptam, fanis attribuisse.

rantibus, sed tria principalia fana in cujusvis fori territorio essent[11]), deinde vero, novis præturis exortis, numerus eorum auctus et simul incertus redditus fuit. Viri fanis præfuturi sapientia et justitia probatissimi eligebantur, qvi simul in comitiis judicia constituerent et processum dirigerent, unde *Godii* (prætores) appellabantur[12]). Horum, præter civilem jurisdictionem teloniiqve collectionem, præcipuum in eo munus constitit, ut idola fanaqve curarent, eorum jura sarta tecta servarent, sacrificiis præessent, ac ut omnia circa eadem rite decenterqve fierent, prospicerent; munus eorum atqve dignitas hæreditaria fuit[13]), qvæ tamen ab una persona et familia, dono, venditione, vel nuptiis ad alteram transferri, immo qvoqve culpa amitti potuit, et tunc ad accusatorem, ad alium prætorem, aut ad

[11]) ***Landnámas.*** **P. IV. cap. 7. Verum e codice legum *Grágás*, (ed. Havn. 1829) P. 1. Sect. 2. p. 4. apparet, antiqvissimis temporibus in qvadrante boreali duodecem præturas fuisse, in singulis cæteris novem, ita ut tunc 39 prætores in Islandia constituti fuerint.**

[12]) ***Landnámas.*** **P. IV. cap. 7. De officiis eorum circa sacra cfr. *J. Arnesens Islandske Rettergang.* Kbh. 1762. p. 475—76. 38. 40. 42. 437. 473—75 et *Grágás* P. 1. p. 8—12. 24. 165—66.**

[13]) **cfr. *Eyrbyggjas.* cap. 9 et 11, ubi Thorsteinus Thorskabitus Thorolfi Mostrarskeggi filius, patrimonio accepto, filium natu minorem nomine Grimum, prætorem, sev pontificem fore declaravit; et cap. 10, unde apparet, Thorsteinum, etsi Thordus *Gellir*, qvi eum cum Kiallakensibus reconciliavit, dimidiam tributi fano solvendi partem, Thor-**

contribules devolvebatur, sed tamen eam pecunia redimere licitum fuit[14]).

§ 2.

De primis in Islandia templis christianis.

Priusqvam religio christiana in Islandia anno 1000 legibus sancita est, templa qvædam christiana ibi condita fuerunt; qvamvis enim tota, qvæ e Norvegia in Islandiam transiit, multitudo, ethnicismo esset addicta, nonnulli tamen viri, natione Norvegi, sed in Anglia, Hibernia ac finitimis insulis educati et religione christiana imbuti, illuc trajecerunt, qvorum tamen neminem templa erexisse legimus, præter Aurligum, e Norvegia qvidem oriundum, sed a Patricio Hebridum episcopo educatum, qvi templum ad villam *Esjuberg* exstruxit, qvod si non primum, certe inter prima, in Islandia ædificatum esse censetur[15]). Anno 984 Thorvardus *Spakbödvari* (Bödvari Sapientis) filius templum Christo in prædio suo

---

grimo Kiallaki filio concederet, antistitem tamen delubri ceterisqve priorem fuisse. Hic deinde principatus ad Snorrium Grimi filium jure hæreditario pervenit, qvem, eo puero, patruelis Dörkurus occupaverat; cfr. ibid. cap. 14 et 15.

[14]) cfr. *Vatnsdælas*. cap. 44 et 49 et *Vigaglúmss*. cap. 9. Hæc etiam iis illustrantur, qvæ *Grágás* de prætore peregrinante, sive e civitate migrante P. 1. p. 165—6 statuit.

[15]) cfr. Hist. Eccl. T. 1. p 35.

Áss exstrui curavit[16]). Anno deinde 1000 Gissurus et Hjaltius, religionis in Islandia præcones, assumto Thormodo sacerdote aliisque ecclesiastici ordinis viris, e Norvegia profecti sunt, et insulas Vestmannorum occupantes, navem apud *Hörgaeyri* religarunt et sarcinas suas in littus comportarunt, cum materia templo condendo præparata, qvam rex Olavus Tryginus cædi fecerat templo, qvod in eo ipso, qvo ponticulum navis appellerent, loco ædificari jusserat. Ducta sors in antecessum, ad qvam sinus plagam fundamenta jacerentur, exiit pro boreali, ubi antea ethnicorum sacrificia fuerant et altaria[17]). Sed postqvam religio christiana anno 1000 in comitiis generalibus legibus recepta fuit, templa brevi passim erigebantur; finitis enim comitiis, prætor Snorro templum statim Helgafelli exstruendum curavit, alterumqve *Styrr* socer illius Hrauni posuit[18]). Idem etiam complures alii fecerunt; unde templorum numerus sensim ita auctus est, ut mox anno 1010 templum Schalholtense, Helgafellense, Frodaense, Knappstadense commemorentur. Præterea *Laxdælasaga* refert, templum, qvod Thorsteinus Egilli filius Borgæ anno 1002 exstruendum curavit, in albis fuisse, cum Kiartanus Thorsteini e sorore nepos, ad id sepeliretur. Circa annum 1020 Ola-

---

[16]) cfr. ***Kristnisaga*** cap. 2. ***Ólafs saga Tryggvasonar*** P. 2. p. 44. 232.

[17]) cfr. ***Kristnis.*** cap. 11.

[18]) ***Eyrbyggjas.*** cap. 49.

vus Sanctus Norvegiæ rex materiem templo condendo aptatam et ingentis magnitudinis campanam Islandis dono dedisse fertur. Templum ex ejus præscripto, Thingvallis in fori generalis fundo exstructum fuit et in eo campana collocata; sed tempestate dejectum Haraldus rex Imperiosus (*harðráði*) ipsius frater restauravit, qvod etiam fata prioris expertum coeli injuria corruit[19]). Circa annum 1223 in tribus insulæ qvadrantibus, qvibus episcopus Paulus Jonæ filius præfuit, templa ducenta viginti reperta sunt[20]). De primorum Islandiæ templorum institutione pauca memoriæ prodita reperiuntur. Constat tamen, primum et summum præceptum tunc temporis habitum fuisse, ea qvam splendidissime ædificare; et cum sacerdotes promitterent, fore, ut tot hominibus in coelorum regno mansiones patronus conciliaret, qvot in templo, qvod qvisqve poneret, stare viri possent[21]), conditores nulli operæ pepercerunt, qvin et immensæ capacitatis exstruerentur, et magnis impensis reficerentur[22]). Templa perfecta consecraban-

[19]) ***Kristnis.*** cap. 14.

[20]) ***Páls Biskups saga*** cap. XI.

[21]) ***Eyrbyggjas.*** cap. 49.

[22]) ex. c. ***Hungrvaka*** cap. 17 de templo Schalholtensi ita loqvitur: "Duabus navibus advecta sunt ingentia ligna, qvæ Klængus episcopus in Norvegia cædi fecerat, templo aptata, qvod Schalholti exstrui curavit, tam materiæ delectu, qvam ipsa fabricatione, qvalibet, qvam Islandia unqvam habuit, domo præstantius. . . . Unam cum sederat hyemem

tur[23]) variis dedicabantur, et post consecrationem pariter ac homines post susceptum baptismum, in albis fuisse dicuntur, similiqve modo campanæ et altaria inaugurari solebant[24]).

---

episcopus, templum ædificare aggressus est. Tanti autem aliis visi sunt sumtus, qvi templo exstruendo singulis semestribus impendebantur, erogandi, tam in lignorum apparatum, qvam fabrorum mercedem atqve aliorum sustentationem, qvibus hic opus erat, ut visum sit prudentioribus, omnem hoc opus pecuniam postulare, qvæ ad sedem episcopalem e decimis aliisqve reditibus redundaret." Hoc anno 1153 et seqventibus factum est, sed priores qvoqve episcopi Gissurus et Magnus templum Schalholtense refecisse perhibentur; cfr. l. c. cap. 2 et 14. Fatendum qvidem est, reliqva templa non pari magnificentia exstructa fuisse, attamen pleriqve templorum conditores divites fuerunt et episcoporum hac in re vestigiis, etsi non passibus æqvis, insistere conabantur, (nam: regis ad exemplum totus componitur orbis), qvare semper, etsi tum Islandia sylvis abundaret, ligna majora templis condendis ex Norvegia petita fuerunt.

[23]) Ibid. cap. 18. "Cum vero templum Schalholti ita exstructum esset, ut jam illud inaugurari posse episcopus judicaret, magnum lautumqve convivium amicis paravit, ad qvod invitavit Björnum episcopum, Nicolaum abbatem, multosqve optimates, adeo ut ibi ingens convivarum numerus adesset. Uterqve episcopus Klængus et Biörnus, alter extrinsecus, alter intrinsecus templum inaugurarunt, consecraruntqve Petro apostolo, cui antea fuerat dicatum, orationem habente Nicolao abbate."

[24]) Plura de cæremoniis, inaugurationem comitari solitis, videndi cupidum, ablegare liceat ad Hist. Eccl. T. I. p. 171—74, ubi copiosa harum rerum descriptio legitur; cfr. etiam Jus. Eccl. Arn. cap. 5.

§ 3.

Qvalem vim delubra in templorum christianorum institutionem exseruerint.

Fana gentilium a templis christianis in Islandia excepta esse, ita ut illa in hæc immediate sæpius transierint, est *factum historicum*, cujus causa internæqve rationes hic innui debent. Qvando res novæ nobis amplectendæ sunt, eo facilius admittuntur, qvo magis cum pristino cogitandi sentiendiqve tenore nostro conspirant. Templa igitur tam levi negotio in Islandia surrexisse, nemo mirabitur, qui perpenderit, qvantum hi νεοφυτοι christiani veteris mentis assvetæqve cogitandi rationis retinuerint, ita ut potius nomina, qvam numina eos permutasse dixeris. Ut enim gentiles ex diis deabusqve genium sibi tutelarem elegerunt, qvem loco ipsi consecrato adstrictum donisqve maxime colendum putarunt, sic etiam christiani se ad tutelam sancti alicujus applicarunt, eiqve templum dedicarunt [25]), ita ut nullum fere in

[25]) Qvod gentiles septentrionales attinet, cfr. *Ólafs Tryggvasonar* s. P. 1, cap. 114, de Hacone comite Hladensi, qvi Thorgerdam Hörgabrúdam adoravit, necnon *Vigaglúms s.* cap. 19. De primis in Islandia christianis adferre liceat exemplum Aurligi, in § 2 supra commemorati, qvi a Patricio, Hebridum episcopo, educatus, templum Sancto Columbo vel Columbillæ dedicavit; cfr. *Landnámas.* p. 23, et nonnulli ejus posteri Esjubergenses dicti, in Columbillam, qvamvis non essent baptizati, crediderunt; ibid. p. 26. Eidem Columbillæ cum Deo Thorsteinus Illugi filius, templum, qvod exstruxit, consecravit; ibid. p. 35. Sanctus ille Columba vel

Islandia templum reperiatur, qvin sancto alicui consecratum sit, qvod ex indicibus, possessiones eorum continentibus, vulgo *máldagar*, apparet. Sanctitas etiam, qvam gentiles delubris et circumjacenti regioni addixerant, qvasi per manus tradita, introducta in Islandiam religione christiana, ad templa transiit,

---

Columbilla vulgo fuisse creditur, Sanctus Columba, seculo sexto clarus in Hibernia monachus, qvi deinde in Britanniam profectus, in insula *Kolumb-kill*, ab ipso nomen trahente, monasterium condidit, et librum, *Regulam Monasticam* inscriptum, *Kolumb-kill* etiam vocatum, contexuit; cfr. Hist. Eccl. T. 1, p. 35 a. Alterum exemplum mox jam adferendum ingenium illius ævi, et qvam levis ab ethnicismo ad religionem christianam transitus fuerit, qvomodoqve genii tutelares electi fuerint, egregie illustrat, et occurrit in *Njálssaga*, vulgo *Njála* cap. 101. "Qvodam die Thangbrandus mane foras egressus tentorium erigi curavit, missamqve in eo cantavit magno cum splendore, nam festum erat celebre. Hallus Thangbrandum interrogat: in cujus memoriam hunc diem celebras? Thangbrandus respondet: in memoriam Michaelis, primi ordinis angeli. Qvænam, inqvit Hallus, est natura istius angeli? Multis modis bona, regerit Thangbrandus; qvæcunqve recte feceris, æstimat, adeoqve est propitius, ut, qvæ ipsi placeant, pluris faciat (ɔ: qvam sint). Hallus ait: velim mihi fautor esset. Hoc impetrare poteris, inqvit Thangbrandus, teqve illi atqve Deo hodie addice. Tum hoc mihi stipulor, addit Hallus, ut tu pro angelo spondeas, eum fore mihi angelum tutelarem. Spondeo, inqvit Thangbrandus; qvo dicto, Hallus cum omnibus domesticis sacrum lavacrum subiit." Cum hoc conferri potest Jus eccl. Arn. cap. 4, ubi decimæ et oblationes templis solvendæ, Deo et Sanctis ejus offerri dicuntur.

ita ut qvodvis templum ab episcopo rite inauguratum, plenoqve jure gaudens, ex omni parte, sev circum circa, qvadraginta gressus in honorem Dei et hominum pacem possideret; qvod territorium æqve ac ipsum templum jura asyli habuit; unde, qvi in templo et locis consecratis pugnam excitavit, capite plectendus fuit, et ex ejus bonis episcopo 15 *marcæ*[26]) solvendæ, reliqvum autem fisco regio adjudicandum. Nec ulli arma ɔ: securim, gladium, hastam, frameam, malleum[27]), in templa ferre, aut ad eorum parietes collocare licitum fuit; si qvis autem secus fecisset, relegationis poena mulctatus fuit; actor istius causæ, mandatarius episcopi, pastor ecclesiæ, incolave fundi esse debuit, qvi si actioni supersedissent, publica evasit. Exceptio tamen peremtoria reo competit, et si testibus convincere posset, se arma in templum ideo gessisse, ut necessariam iis ministraret reparationem, et si qvis causam stipulata manu arbitrio episcopi subjiceret, tantum pecuniæ, qvantum decerneret, se soluturum promittens[28]).

[26]) De legali computatione aut erogationum ex contractibus civilibus, aut mulctæ pecuniariæ, juxta valorem *alin*, *ortug*, *eyrir*, *mörk* atqve *hundrað*, multum fuit disputatum; cfr. Hist. Eccl. T. 1, p. 63—66, et *M. Stephensen* comment. inaug. "de legibus, qvæ jus islandicum hodiernum efficiant" etc. (Havn. 1819), p. 44. Hic tantum monuisse sufficiat, *mörk* mulctarum expendi 1 ora et 1 ortuga, sive $1\frac{1}{3}$ nummi uncialis.

[27]) ɔ: *öx*, *sverð*, *spiót*, *sviða*, *bryntröll*.

[28]) Jus. eccl. Vet. (ed. Thork. 1775), cap. 48; cfr.

Qvicunqve autem aliqvid deliqverat, et in cæmeteria aut templa confugit, ibidem ab omni vi et poena tutus esse debuit, nisi ad pecuniam lucri faciendam avaritia ductus, aliqvem intra templum vel cæmeterium vulnere aut morte affecisset; huic enim, cum in ipsam legem commisisset, immunitatis beneficio frui non licuit. His exceptis, pastor ecclesiæ unicuiqve in templum confugienti subvenire debuit, ne frigore, cibi potusve inopia periret, si cognati aut amici opem in his illi ferre neqvirent. Hoc jus asyli rex Norvegiæ Haconus Magni filius, cognomine *háleggr*, rescripto ad Islandos anno 1314 dato, ita confirmavit, ut clericis permitteret, ad loca sacra fugientes reos sustentare, donec in Norvegiam, ut a persecutione liberos, sed immunitate canonica ibidem fruituros, transmittere possent[29]). Qvi vero pastorem aliumve, se in templi tutelam recipienti succurrentem impediret, eosve a templo vel cæmeterio, tumultu, vi, vel dolo abstraheret, eandem sibi attraxit poenam, ac si insontem ibidem occidisset, excommunicationis nempe, usqve dum auctoritate episcopi absolveretur. Hanc templorum sanctitatem

etiam Jus. eccl. Arn. cap. 6, qvod statuit, sua cuicunqve, qvæ in loca sacra intulerit, arma tribus unciis redimenda; ceteroqvin ea esse commissa; si vero intra duos menses lytrum non solvatur, episcopo pretii semissem, alteram vero templo capiendam esse.

[29]) cfr. Hist. eccl. T. I, p. 416, ubi hujus constitutionis articulus exscriptus e Codice Bibliothecæ Magnæanæ Nr. 351 in fol. reperitur.

asyliqve jura, a gentilibus hæreditate qvasi accepta, episcopi catholici, ad imperium suum totiusqve cleri augendum, anxie diligenterqve foverunt atqve nutrierunt; namqve ab initio ideo templa hominibus refugio destinata fuisse videntur, ut, cum ob delicta casu culpave commissa persecutionibus expositi essent, pendente causa legitime discutienda, ab omni injuria liberi esse possent; verum deinde ad qvæcunqve scelerum genera ista asyli jura dilatata fuerunt; qvod etiam in Islandia factum esse, tam ex annalibus, qvam rescripto regis Friderici Secundi, ad talem asyli ecclesiastici abusum abrogandum, anno 1587 dato, conspicuum est [30]). Præterea delubra, ut certo territorio adscripta, ut privatorum possessio, tributiqve exigendi jure prædita, in parochiarum formationem, in templorum dotationem, decimarumque introductionem, aliqvam vim exseruisse videntur, de qva suis locis infra agemus. Qvamvis autem fana templis instituendis viam munierint, et utraqve historicam qvandam similitudinis speciem præ se ferant, in eo tamen inter se differunt, qvod si utraqve in Islandia a privatis essent condita, illa pro lubitu conditoris iterum dirui possent, hæc denuo erigi et instaurari deberent. Religionis qvippe christianæ talis est indoles, qvod omnium temporum terrarumqve experientia docet, ut si vel cultus ejus et res liturgica a singulis ratione qvam maxime sub-

---

[30]) Ibid. T. 3, pag. 28.

jectiva instituantur, paullatim tamen hunc habitum subjectivum exuere et in eum formandum vim suam exserere incipiat, adeo ut cev objectivum qvid et supra hominem elevatum appareat; hæc idea in Jure eccl. Vetere cap. 9 et Jure eccl. Novo cap. 4 ita expressa est, ut dominus fundi in prædio suo templum exstruere jubeatur, ubicunqve antea ædificatum fuerit. Idem qvoqve Lex Gulens. ap. Paus 1, p. 18: "cuivis privato, sive satrapæ sive colono, sive cui demum templi ab ipso exstructi conservatio incumbit, destructio interdicta est".

§ 4.

De sacellis eorumqve ad alia templa relatione.

Qvemadmodum ecclesiæ templis carere neqveunt, sic etiam templa ecclesias sive coetus desiderant, qvod ex mutuo inter vim religionis piumqve animi humani desiderium nexu proficiscitur. Qvando de conservatioue templorum sermo est, hoc in universum de iis dictum esse, per se patet, non vero de uno alterove templo ob singulares causas abrogato, aut a coetu suo destituto, nec omnino de sacellis, qvæ qvoad finem, ambitum ac jura a reliqvis sacris ædibus aliqvantum diversa fuerunt. Sacella aliaqve templa in Islandia id commune habent, qvod a privatis initio utraqve instituta sunt; sed in eo mox a se invicem divergunt, qvod hæc publicis, illa privatis usibus proprie destinata fuerunt, qvare etiam oratoria domestica vocantur. Veruntamen, cum ab

iis interdum erigerentur, qvi a templo procul habitarent, qvod propter itineris longitudinem molestiasve freqventare neqvirent, haud raro factum est, ut plures iisdem rationibus adacti, sacra in sacellis celebrandi veniam nanciscerentur, pro qva impetranda decimas aliaqve tributa in eorum conservationem penderent, taliqve modo parvi coetus ad tempus circa sacella formarentur. Cum igitur in insulis et locis a templo remotis sacella necessaria viderentur, episcopi ea qvandoqve conservari dirutaqve instaurari jusserunt, et cum possessoribus eorum, qvibus majori oneri qvam lucro erant, de sacris redimendis controversias habuerunt. Maxima tamen sacellorum pars sine cætu fuit privatisqve usibus inserviit, et tum possessores ab episcopis id impetrare necessarium habuerunt, ut sacra in iis a parocho administrari permitterent; sed langvescente interdum temporis decursu hoc desiderio religioso, episcopi, ne qvid inde detrimenti salaria parochorum caperent, sacella conservandi sacraqve redimendi officium dominis injunxerunt. Ita sacella varia variis temporibus, nunqvam tamen eadem ac reliqva templa, jura habuerunt. In neutro Jure Isl. ecclesiastico qvicqvam de sacellis constitutum est, nisi qvod ex præscripto Juris eccl. Veteris cap. 14 ab episcopo rite inauguranda fuerunt et consecratio eorum sex unciis redimenda, et secundum Jus Arn. cap. 15 sacella nondum inaugurata decimas percipere prohibentur. Deinde Jonas Halthori filius episcopus Schalholtensis († 1339)

constituit, ut sacella, in qvibus episcopus sacra celebrari permitteret, eodem jure asyli, ac alia templa parochialia gauderent, ita ut, qvi alienas facultates furto, rapina, vel latrocinio, aut vi qvalicunqve inde auferret, ipso facto excommunicationem incurreret[31]); sed in alia constitutione, ab episcopo Gyrduro confirmata, cavit, ne uxores in sacella introducerentur, nec infantes ibi baptizarentur et nullibi nisi in templo cujusvis parochiali conjuges copularentur[32]). Ex ea constitutione, qvam episcopus Schalholtensis Oddgeirus Thorsteini filius anno 1375, qvartam occidentalem visitans, de decimis e prædiis, in qvibus sacella exstructa essent, solvendis fecit, apparet, colonos, ubi sacella diruta fuerunt, nec sacerdoti oblationes dare, nec impensas rependere voluisse, omninoqve sacra diebus profestis ex illius mandato celebrare detrectasse; qvare stricte severeqve præcepit, ut patres familias diebus profestis sacra in sacellis freqventarent, ubi sacerdotes diebus festis illa celebrare neqvirent, ut in insulis procul distantibus, qvo pro lubitu iter non semper fieri posset, aut ubi sacerdos in pluribus templis sacris operari deberet. Ubi vero sacella non integra conservarentur, colonis pastori plenam oblationem solvendam edixit, si modo

---

[31]) cfr. Hist. Eccl. T. 2, p. 82—83. cfr. etiam episcopi Gyrduri decretum synodale 1354 huic omnino consentaneum; ibid. p. 110.

[32]) Ibid. p. 86.

ille in templo suo domestico, tot missas, qvot in sacello dicendæ erant, incolæ prædii, in qvo sacellum situm fuerat, sumtibus caneret, qvamvis illi, qvi expensas subministrare tenerentur, nec missæ interesse, nec sumtus erogare vellent; et si modo sacerdos se missam dicturum profiteretur, æqvale illi jus oblationem reqvirendi et incolæ fundi istius ecclesiastici redemtionem victus sacerdotis pro consvetudine recepta integram addixit; villarum autem, ubi sacella diruta essent, possessores ad illa intra certum tempus instauranda adigi jussit; sacerdotibus vero in templo domestico octo missas pro qvocunqve sacello diruto canendi officium injunxit, in cujus laboris præmium integram portionem pro rata sacelli acciperent [33]). Vilchinus episcopus Schalholtensis in Statuto, qvod anno 1396 de bonorum templorum rationibus reddendis aliisqve sanxit, sacella pariter ac templa bene conservari et intra duodecim menses exstrui jussit, qvæ facere negligenti pro sacellis duodecim unciarum mulctam intendit [34]). Si hæc de sacellis statuta observamus, videmus episcopos iis conservandis et instaurandis necnon sacris ibi celebrandis acriter institisse, unde in eos, qvod hanc rem attinet, vix qvadrare poterit edictum Haconi Norvegiæ regis, de jure ecclesia-

---

[33]) Ibid. pag. 124 sqq.
[34]) Ibid. pag. 138.

stico et judicibus agens[35]), ubi iniqvum esse declaratur, eos, qvorum majores sacella suis impensis exstruxerint, ipsive aliqvid ad sacrorum sustentationem aut alia officia contulerint, sacris ideo carere suaqve impendere, qvod episcopi illis pastorem ad sacra peragenda constituere denegent; sed hoc edictum primum Norvegis datum et ab Haconi demum successore in Islandiam transmissum fuit, nec sacella nisi obiter attingit. Verisimile qvoqve est, etsi hoc historicis argumentis careat, in qvibusdam locis inter sacerdotes et sacellorum possessores de sacris redimendis convenire non potuisse, et hæc ideo ab illis neglecta fuisse, consentientibus episcopis, qvi semper a partibus cleri stare solerent; qvod etiam sacra diebus profestis in sacellis obeundi laicis ingrata consvetudo provocasse videtur. E veteribus templorum indicibus apparet, ad multa templa sacella pertinuisse, iisqve annuum tributum solvere debuisse, qvod tamen omnino diversum fuit, adeo ut nonnullis duodecim, aliis decem, et qvibus-

---

[35]) Ibid. p. 419—22. Hoc edictum ita incipit: *Þenna hått hæfer sýslumönnum vorum oc lögmönnum at hafa oc dyggilega at halda at geyma til uppihalds rettinda þegnanna oc annarra undirmanna virðulegs herra Noregs konungs* etc. ɔ: Hunc modum in conservando civium jure et aliorum illustris Norvegiæ regis subditorum, præfecti et nomophylaces teneant, oportet etc. (Qvo anno hoc edictum datum sit, non constat). Mirum sane videtur, qvod F. Johannæus sacella ante Reformationem, qvantum nos invenire potuerimus, vix uno verbo commemoret.

dam non nisi sex *ortugæ* erogandæ essent. Qvamvis de horum sacellorum ad templa relatione legibus nihil constitutum reperiatur, consentaneum tamen est, sacella ista conservandi, instaurandi, omnibus necessariis instruendi, sacrisqve providendi officium templi competentis patrono incubuisse.

§ 5.

De parochiis, earum formatione atqve ambitu.

Verisimile qvidem est, fana gentilium, qvæ, religione christiana legibus sancita, in templa mutata sunt, ad primam parochiarum delineationem provocandam aliqvid contulisse, ita ut tribus, illis qvondam adscriptæ, hæc freqventare perseverarint; hoc tamen accuratius definiri omnino neqvit, cum et antiqvissima terræ divisio, novis fanis deinde additis, perturbaretur, et nova templa, a delubris non dependentia, sed intra eorum territorium surgentia, talem regionum descriptionem respectu ecclesiastico incertam et fluctuantem redderent. In alto historicorum de prima parochiarum formatione silentio, pauca tantum dicenda habemus. Parochias non subito sed paullatim exortas esse, multa nobis persvadent. Omnia qvippe templa, vigente adhuc republica islandica, a privatis condita fuerunt, arbitrioqve singulorum sine dubio relictum, qvodnam potissimum templum freqventare gestirent; verum hanc libertatem peculiaris terræ situs, viarum longitudo, fluvii et id genus alia ita circumscripserunt, ut sacra in

proximo sibi qvisqve templo celebrare soleret; ita parochiæ sensim sensimqve efformatæ sunt, ad qvas prædia inter duo templa media, a neutro nondum occupata, ut in tali rerum explicatione fieri solet, tandem accesserunt. Verum huic parochiarum efformationi, rei ipsius naturæ maxime convenienti, primo qvidem aspectu repugnare videntur præcepta, Juris eccl. Veteris, cap. 9, qvæ jubent, "decimas templis juxta episcopi divisionem et arbitrium offerri, eumqve in finem episcopum territoria et singulorum prædiorum decimas singulis templis dividere", et cap. 40, ubi mandatum est, "ita de omnibus domiciliis decimas solvi, ut episcopus templis dispertiatur, qvaliscunqve incola fuerit"; necnon Juris Arnæani cap. 15, qvo præcepta Juris eccl. Veteris repetita sunt, et præterea constitutum, "ut omnes decimas unius ulnæ majoresve soluturi, singulis duodecim mensibus templo, ab episcopo nominato, ad candelas binas ceræ uncias earumve lytrum solverent"; nam, si parochiarum descriptio et decimarum inter singula templa distributio episcoporum arbitrio relictæ fuerunt, suspicio oriri posset, spontaneam parochiarum formationem illorum imperio sæpius turbatam et impeditam fuisse. Primum autem hæc præcepta ostendunt, parochiarum formationem per longam annorum seriem liberam fuisse, nec ante annum 1274, qvo Jus eccl. Arnæanum concinnatum est, absolutam esse, alias enim auctor istius Juris mandata Juris eccl. Veteris repetere et candelarum

pensiones inter singula templa dividendi jus episcopis reservare opus non habuisset, neqve id facere potuisset; deinde qvoqve observandum est, templorum prædiorumqve situm, in hac re arbitrarie versari, episcopis non permisisse, sed eos, velut physica qvadam necessitate coactos, in decimis inter templa distribuendis, consvetudinem, in qvocunqve loco receptam, secutos esse; unde facile colligitur, præceptis istis tributorum de iis prædiis rationem potissimum haberi, qvæ inter duo templa media a neutro nondum essent occupata; cum enim nihili momenti esse videretur, utri tandem templo adjicerentur, et utrumqve pari colonorum negotio fieri posset, ad avertendas hinc lites inter patronos templorum orituras, arbitrium episcoporum necessarium fuit. Qvod autem Jus eccl. Vetus territoria inter singula templa episcopis dividenda nominat, id in universum ita non esse intelligendum, ac si episcopus omnes parochias certis finibus dispungere deberet, ejusdem præcepti in Jure Arnæano iterata inculcatio declarat; nam si hic verborum sensus esset, sine dubio intra annos 1123 et 1274, sive tempore inter Veteris atqve Novi juris ecclesiastici publicationem præterlapso, factum esset, tum vero hoc Jus idem præceptum neqve repetere, nec de episcoporum potestate candelarum pensiones pro lubitu inter templa distribuendi loqvi potuisset, cum hæc pensio qvotannis eroganda sit, et prædia cum omnibus annuis ecclesiasticis tributis ad singula

templa accessisse existimanda sint. Verba igitur utriusqve Juris ecclesiastici non de facto episcopis semel faciendo, sed de jure faciendi explicanda sunt, et tum sensus eorum valde expeditus est. Cum qvippe parochiæ ubiqve nondum formatæ essent, permulta prædia necessario fuerunt, qvæ ad nullum certum templum pertinerent, qvorum vero coloni nunc hoc, nunc illud promiscue freqventarent, et in his locis nova templa identidem surrexerunt, qvæ omnia finitima prædia et fortasse ex antiqvis parochiis nonnulla, a templo suo remotissima, ad se traxerunt. Hinc vero inter veterum novorumqve templorum patronos de territorio freqventes controversiæ ortæ sint, necesse est, qvæ episcopis huic rei sese immiscendi harumqve parochiarum limites determinandi potestatem sibi vindicandi opportunam satis occasionem præbuerunt, et ad hunc rerum statum utrumqve Jus ecclesiasticum potissimum respicere, non dubium videtur. Si vero qværitur, qvando tandem parochiarum formatio absoluta fuerit, hoc ad certum tempus referre non valemus, qvamvis verisimile sit, ineunte seculo decimo qvarto, cum episcopi indices ecclesiasticos in unum colligere inciperent, pleraqve prædia sua templa agnovisse; sed iterum parochiarum fines conturbatos esse annis 1402—5, qvibus atrox Islandiam epidemica pestis pervagata est, tantamqve hominum ac pecudum stragem edidit, ut integri tractus ac paræciæ ad perpetuam solitudinem redactæ

sint, nec tertia pars incolarum superstes esset[36]); qvæ de parochiarum formationis tempore sententia confirmatur edicto, qvod Gyrdurus episcopus Schalholtensis anno 1354, occidentalem qvadrantem invisens, parochianis Stadastadensibus et Kolbeinstadensibus dedit, qvo mandavit, ut patrono templi, in cujus paræcia fundi essent, decimæ solverentur; qvod ubiqve valere non potuisset, nisi tum plerarumqve paræciarum fines constituti fuissent. Si, qvæ de parochiarum formatione dicta sunt, vera sumuntur, seqvitur etiam, singularum ambitum pro vario locorum situ varium fuisse.

Cap. 2.

DE BONIS ET REDITIBUS TEMPLORUM.

§ 1.

De illorum prima dotatione.

Postqvam religio christiana in Islandia radices qvalescunqve agere coepit, permulta templa de novo condita et antiqva identidem refecta sunt, cum ditiores pleriqve templa qvam amplissima et splendidissima in villis suis condere, invicem inter se certarent, qvibus magni pretii ornamenta, vestes sacras atqve campanas suis sumtibus compararunt. Nonnulli qvoqve alia, ut vaccas, boves, oves, eqvos, sues, ceteraqve animantia iis adscripserunt; qvin

[36]) cfr. Hist. Eccl. T. I. p. 135 sqq. 218, 353.

imo, aut ipsum totum fundum, aut dimidium, aut aliqvam ejus partem, præterea etiam alia prædia, jam cum sylvis, oris maritimis, cum piscinis, aviariis, talibusqve, qvæ aliqvem fructum ferrent, jam sine iis, in perpetuum peculium sacris ædibus addici curaverunt, sed singuli eam conditionem et cautelam adhibuerunt, ut ipsi eorumque posteri in hæc omnia perpetuo patronatus jure gauderent, et ex iis usum fructum auferrent[37]); ipsa vero templa, illorum ornamenta et utensilia sarta tecta servarent et augerent, necnon sacris rite obeundis et administrandis prospicerent. Qvæ primum hac in re pietati et religioni plerumqve debebantur, sæpius deinde prudentia facta sunt, cum enim multi procedente tempore in periculum venirent, ne ob delicta commissa imperiove episcoporum omnibus bonis mobilibus æqve ac immobilibus spoliarentur, aliqvam horum partem imminenti periculo eripiendam, tem-

[37]) Hoc ita non intelligendum est, ac si primi templorum conditores literarum aliorumve testimoniorum fide, hæc jura sibi suisqve posteris vindicaverint, qvæ prævidere neqvirent, ab aliis unqvam tentata et violata fore. Cum enim delubra, qvæ prætores pleno jure possidebant, a templis exciperentur, ea sententia vulgo recepta fuit, similem utrorumqve conditionem esse. Postea vero, cum episcopi inspectionem templorum sibi vindicarent, legesqve de illorum conservatione dare inciperent, laici hoc dominii jus, ccv rem nemini non notam, magis magisqve urgere ac defendere cæperunt, illudqve tandem nova templa condentes, sibi suisqve posteris expressis verbis reservarunt.

plo, imprimis, cujus aut ipsi, aut eorum propinqvi patroni erant, haud raro assignarunt. Ad dotem qvoqve templorum augendam haud parum contulit præceptum Juris eccl. Veteris cap. 9 "qvo dominus fundi templum tam amplis ditare bonis jubetur, ut episcopus id ideo consecrare velit", cum inauguratio templi gravissima omninoqve necessaria haberetur, hæc vero e judicio episcopi, de justa illius dotatione ferendo, penderet (cfr. Jus eccl. Arn. cap. 4).

§ 2.

De decimis.

Qvamvis annuum illud tributum, a provincialibus in usus fanorum erogandum, cujus supra in cap. 1 § 1 mentio facta est, introducta in Islandiam religione christiana, ad templa redundasse, verisimile sit, legibus tamen demum anno 1096 certi reditus illis assignati sunt[38]); tum enim Gissurus Isleifi filius, episcopus Schalholtensis, Sæmundi Sigfussonii consilio et opera, legem de decumis ex omnibus bonis tam mobilibus qvam immobilibus, juramenti fide ab ipsis dominis æstimatis, præstandis condidit, qvam per nomophylacem Marcum Skeggii filium, in comitiis generalibus, nemine

[38]) Alii hoc ad annum 1097 vel 1098 referunt; cfr. Hist. Eccl. T. 1. p. 120. Non modo in Islandia, sed ubiqve etiam primis æræ christianæ seculis, templa, non decimis, sed bonis suis et oblationibus conservabantur.

refragante, sanciri et in leges referri curavit[39]), quæ deinde juri ecclesiastico Thorlaco-Ketilliano, anno 1123 concinnato, inserta fuit[40]). Ex hac

[39]) cfr. *Hungrvaka* cap. 6. *Schedas Arii* p. 60 sqq. *Kristnisaga* p. 110. *Sturlungasaga* Lib. 4. cap. 2. Hist. Eccl. T. 1. p. 120 sqq. 133. 198. 244. Qvod decimarum introductio in Islandiam tam facile successerit, veteres omnes amori, qvem populares in Gissurum episcopum ferebant, acceptum referunt. Sed addendum putat Dr. F. Johannæus religionis amorem et animorum erga eandem affectum. Has res ad decimas introducendas plurimum valuisse, non negamus, qvamvis ea se causa citius offerre videatur, qvod ipsi prætores, qvi auctoritate sua reliqvum populum ad qvævis amplectenda impellere valuerunt. templorum qvoqvo patroni erant, et ex introductione decimarum haud parum emolumenti perceperunt.

[40]) Hujus constitutionis exemplar fide dignum difficulter parari poterit, qvamvis articuli ejus fundamentales per interlapsa secula auctoritatem invariatam servaverint. Laudatum qvidem statutum F. Johannæi Hist. Isl. Eccl. T. 1. pag. 118 sqq. particulatim insertum legitur, sed integrum in Juris eccl. Thorlaco-Ketilliani cap. 28 sqq., cujus exempla tantum inter se differunt, ut hoc statutum editionis Thorkelianæ caput 36tum occupet, ceterum 51 capita continentis, dum F. Johannæus huic Juri modo 35 capp. annumeret, qvæ res inde derivanda est, qvod hoc Jus varia, dum viguit, incrementa subinde recepit, qvæ qvoqve in ipso codice sæpius innuuntur, qvo factum est, ut inter codices manuscriptos magnum discrimen intercedat, cum alii pristinam formam anxie servaverint, alii serioris ætatis additamenta suis locis inserere non dubitaverint, aut ea supplementi instar subjunxerint. Hoc statutum codici ecclesiastico non primitus insertum, sed posterioribus demum temporibus ei subjunctum fuit; cfr.

constitutione decimæ in qvatuor partes dividendæ erant æqvales, qvarum una pauperibus, altera episcopo, tertia templo, qvartaqve sacerdoti cessit[41]), uncia vero minores indivisæ manserunt[42]). Ex hac constitutione, qvi decem mercium uncias possiderent, unam ulnam, sev sexagesimam sortis partem, decimarum loco dare tenebantur, qvi viginti uncias in bonis haberent, duas ulnas pendere, qvi autem decem unciarum decades possiderent, sex ulnarum decimas dare debebant; et sic porro. Res piis usibus oblatæ inter decimandas habitæ non sunt; similiter libri sacerdotum, vestes sacræ resqve ad ministerium divinum necessariæ, necnon villicationis reliqviæ vere exstantes, si colonus villicare perge-

Schlegel commentat. *Grágás* præfix. pag. XXXV. In jus etiam Arnæanum cap. 14—15 contenta illius recepta sunt, varie tamen mutata et aucta, imprimis qvod mulctas pecuniarias attinet, qvas pro decimarum retentione præcipit.

[41]) cfr. Jus eccl. Vetus cap. 38 et 40. In Islandia decimæ in qvatuor partes adhuc dividuntur, sed in Dania inde a Reformationis temporibus modo tripartitæ sunt.

[42]) In hanc constitutionem decimalem prolixos vide commentarios in Hist. Eccl. T. l. pag. 120—133 et M. Stephensen Commentat. de legibus islandicis etc. p. 82—92; cfr. etiam *Anhang til Hofmans Afhandling om Tiende*, edit. 1777 pag. 116—123. Qvare hic eadem repetere superfluum foret. Monuisse tantum sufficiat, tum de fundamento computationis decimarum, qvam de illarum objecto, multa diu dubia fuisse vexata, de qvibus enodandis commentarii laudati agunt.

ret[43]), si vero desisteret, aut reliqviarum qvicqvam alienaret, tum decimandæ fuerunt. Reliqva omnia sua bona, demto ære alieno, tributum comitiale solventes decimare tenebantur[44]). Duæ decimarum qvartæ, sive qvæ dimidium decimarum a qvovis solvendarum effecerunt, singulis templis et sacerdotibus pendendæ, ex Juris Veteris præscripto, curatori templi, cui decimæ assignatæ fuerunt, in manus tradi debuerunt[45]). Qvarta decimarum, usui sacerdotum destinata, pannis inqvilinis, togis promercalibus, pellibus agninis, auro argentove defæcato eroganda fuit; qvarta vero, templis debita, cera, thure, lignis, pice, novisve linteis, ornatui ecclesiastico aptis, prout in qvavis toparchia pannis inqvilinis emi possent, solvenda[46]).

---

[43]) Juxta Acta comitialia anni 1625 villicationis reliqviarum nomine venit tanta omnium bonorum massæ pars, qvanti alimenta, singulis domesticis ab initio æstatis ad initium usqve hyemis inseqventis, præstanda, constant.

[44]) E sorte decimæ solvendæ fuerunt, et ex viginti unciis, ad pretium mercium æstimandis, in qvatuor partes dividendæ, minores vero solis inopibus cessernnt; qvod etiam census fundamentum fuisse, *Kristni saga* pag. 113 conceptis verbis testatur; licet alii usuræ decimandi modum superstruere, indeqve in decimis constituendis exire voluerint; cfr. etiam Jus eccl. Vet. cap. 36. Mirum sane, hanc constitutionem ad nostra usqve tempora viguisse, cum iniqvum esse videatur, qvo qvis opulentior sit, eo minores decimas illum pro rata expendere.

[45]) Jus eccl. Vet. cap. 40.

[46]) Jus Arn. cap. 15 totam templi qvartam pannis in-

§ 3.

De primitivo hujus instituti consilio.

Gissurum episcopum et qvi cum eo hanc decimarum constitutionem condiderunt, qvartam templis assignando, clerum locupletare in animo habuisse, vero absimile est, cum et politici ordinis viri huic rei ordinandæ adessent, et ipsi omnes templa possiderent, nec ullum ejus vestigium reperiatur, qvod primi Islandiæ episcopi templa cleri dominio subjicere studuerint, qvippe qvi e contrario decimas oblationesqve sacerdotales templi patrono tradi juberent[47]). Sine dubio Gissurus et reliqvi legislatores ad morem antiqvum, a majoribus receptum, respexerunt, qvo delubra freqventantes tributum hoc nomine solvere tenebantur, eumqve, cum justo et æqvo fundamento niteretur, ad templa christiana applicarunt, probe intelligentes, templorum patronis, qvippe qvi omnes essent homines privati, cum nec lege, nec pacto convento obligati essent, templorum suis sumtibus conservandorum officium, aliter injungi neqvire. Sed ex qvo episcopi catholici inspectionem templorum, redituumqve ecclesiastico-

---

qvilinis solvi permittit. Decimas longe majores antiqvitus ob majorem terræ fertilitatem et armentorum pecorisqve multitudinem, qvam nostris temporibus, fuisse, e priscis annalibus constat; cfr. episcopi Dr. Joh. Finnæi dissertat. *um mannfækkun af hallærum á Íslandi*, insert. *lærd. l. fèl. rit*, vol. 11, p. 66—67.

[47]) cfr. Jus eccl. Vet. cap. 40.

rum administrationem sibi vindicare cæperunt, accuratius qvoqve inter bona publica et privata distingvere, necnon a templorum patronis decimarum, ac nominatim qvartæ templis debitæ, rationes exigere aggressi sunt, de qvo plura infra cap. 3, § 7 dicenda sunt.

§ 4.

De pretio sepulturæ.

Ad reditus qvoqve templorum tributum pro sepultura in cæmeteriis pertinet. Antiqvissimis temporibus eo sanctior sepulturæ locus habebatur, tantoqve majoris constabat, qvanto propius a templo situs fuit; unde tale conditorium, ipsum templi parietem attingens, qvod in Jure eccl. Vicensium *undir upsar dropa* appellatur, plurimi esse solebat. Sed in Jure eccl. Vetere cap. 5, pretium sepulturæ ita constitutum fuit, ut sepulcrum pro qvovis homine duodecim, sed pro infante edentulo, sex tantum ulnis redimendum esset[48]), nulla ejus habita ratione, utrum sepulcra templo vicina, an remotiora essent. Jus eccl. Arnæanum cap. 11, locum qvidem dormitorii ad templum pretio vendi prohibuit, veruntamen episcopo id officii injunxit, mnemosyna pro hac re offerre negligentes, ad anti-

[48]) Hunc canonem contrarium esse Concilio Triburiensi, habito anno 895, ubi omnibus interdictum sit, terram mortuis vendere, observavit Thorkel. in edit. Juris eccl. Vet. l. c. Nota 14. De pretio sepulturæ in Dania post Reformationem, cfr. C. T. *Engelstoft Liturgiens eller Alterbogens og Kirkeritualets Historie i Danmark* (1840), p. 307—8.

qvam consvetudinem servandam adigere[49]); cui qvoqve mandato episcopos obtemperasse, apparet ex edicto Petri Nicolai filii episcopi Holani (post annum 1391), qvo cuicunqve mercedem pro loco sepulturæ pendere detrectanti, trium marcarum mulcta irrogata fuit[50]). Sed lucrosum Juris Arnæani oblationes pro sepulcro, nomine tantum voluntarias, exigendi præceptum ad Reformationem usqve obtinuisse, tum vero exulasse et morem iterum Juris Veteris revocatum esse, Acta comitialia anni 1604 indicare videntur[51]).

[49]) Qvod oblationes voluntarias pro certo sepulturæ pretio imperatas attinet, hoc Juris Arnæani præceptum cum Statuto archiepiscopi Elifi Korti filii anno 1322 sancito, convenit, qvo prohibitum est omnibus clericis sub poena excommunicationis, aliqvem inire contractum vel conditionem, vel pignus acceptare vel expostulare a qvodam pro copulatione, sepultura, unctione extrema, vel alia qvacunqve officii sacerdotalis parte, qvam qvicunqve sacerdos sine omni mercede præstare debeat; at post absolutam hanc muneris partem, permissum est, expostulare ex antiqvo titulo, et acceptari, qvodcunqve ille lubens præstare voluerit; cfr. Hist. Eccl. T. 1, p. 493.

[50]) Ibid T. 2, pag. 224.

[51]) De significatione mortuariorum, ab hoc sepulcri pretio diversorum, F. Johannæum in Hist. Eccl. T. 4, pag. 182 (a) ipsum loqventem inducere liceat: "In codice Vilchiniano, jura et possessiones templorum describente, ut et passim alibi, fit mentio mortuariorum, ut tributi cujusdam lucrosi, templis pendi soliti, qvod Periodo tertia impositum et indictum fuisse et deinceps continuatum putamus; fuit autem mortuarium jus illud, qvod ecclesiæ aut ejus Rectori

§ 5.

De candelarum pensione.

Reditibus deinde templorum annumerari debet tributum ad candelas sacras qvotannis a parochianis erogandum, cujus origo, cum in Jure ecclesiastico, qvod Thorlacum et Ketillum auctores agnoscit, non commemoretur[52]), sed in Arnæano præ-

debebatur, cum qvis decederet, ɔ: cum decedens parochianus tria vel plura in bonis suis haberet animalia, optimo, cui de jure fuerit debitum, reservato ecclesiæ suæ, a qva recepit sacramenta dum viveret, sine dolo, fraude, sev contradictione, qvælibet pro recompensatione subtractionis personalium decimarum, necnon oblationum. Secundum melius animal reservabatur post obitum pro salute animæ suæ hujusmodi liberandum. Qvod si duo tantum in bonis decedentis exstiterunt animalia, de mansvetudine Ecclesiæ exactio qvælibet nomine mortuarii remitittur" &c. Qvæ seqvuntur, de alia mortuarii significatione, huc non pertinente, agunt.

[52]) In Jure eccl. Vetere cap. 43 inter Variantes hæc qvidem, sed recentiore manu addita, leguntur: *Hverr maðr er tíund görir, skal gjalda lýsitoll til graptrarkirkiu tvær álnir vaðmáls, eða tvo aura vax, rètt er þeim at gjalda tvær merkr lýsis er eigi gera skiptitíund. fjórar álnir þóat hióna sè. Nú gèfr madr fè börnum sinum, ok ábyrgjaz þau siálf, þá skulu þau gera tíund ok gjalda lýsitoll* ɔ: Unusqvisqve decimas solvens pensiones luminum duabus ulnis panni inqvilini, ceræve duabus unciis expendat. Licitum est iis, qvorum decimæ divisionem non attingunt, libram olei piscini offerre. Etsiamsi familia sit, qvatuor ulnas solvat. Si qvis liberis suis bona donat, qvæ ipsi administrant, tunc decimas et præstationes luminum solvant.

cipiatur[53])!, ad medium inter utrumqve temporis intervallum referenda videtur. Ex Arnæani Juris præscripto a decimis hæc pensio eatenus pendebat, qvod qvisqve decimas unius ulnæ solvens, qvotannis binas ceræ uncias earumve lytrum, ad pretium in eadem tribu vulgare æstimandum, solvere tenebatur. Hæc de candelarum pensionibus Juris Arnæani præcepta seqventes episcopi accuratius definierunt. Jonas qvippe Halthori filius episcopus Schalholtensis constituit, hominibus, qvi fixum domicilium non haberent, tributum pro candelis in eo loco, ubi corpus dei sumerent, festo paschatos solvendum, alias illis sacram synaxin denegandam esse[54]). Episcopus deinde Gyrderus, qvi hoc Jonæ episcopi statutum confirmavit, alia qvoqve constitutione anno 1359 præcepit, ut si qvis expensionem pro candelis ad tempus pascale non solvisset, ad corpus domini sumendum non admitteretur et extra templum maneret, donec solvisset, marcamqve dimidiam, inter templi curatorem et præpositum ex æqvo dividendam, expenderet[55]). Postea Svenus, cognomine prudens, episcopus Schalholtensis, in Synodo 1472 habita, mandavit, ut, si qvis villicationem in una parochia, in altera autem domicilium haberet, in priore decimas et candelarum pensionem solveret;

---

[53]) Jus eccl. Arn. cap. 15.

[54]) Hist. Eccl. T. 2. p. 85.

[55]) Ibid. pag. 112.

item, ut fixo domicilio gaudentes, qvos sacerdotes aut rustici tempore brumali piscatum ablegarent, in propria singuli paræcia, ubi domicilium haberent, pensionem ad lumina solverent, nisi in locis, qvibus episcopus litteris suis obsignatis gratiam legis fecisset[56]). Horum tamen nemo officia huc spectantia diligentius enucleavit, qvam Petrus Nicolai filius episcopus Holanus (circa 1391), qvi terminum pensionis ad candelas persolvendi diem passionis domini constituit, et ei, qvi tum non persolvisset, duodecim unciarum, ex dimidio inter præpositum templiqve patronum dividendarum, mulctam irrogavit[57]). Præterea qvoqve præcepit, de villis desertis et fundis, qvos egeni a pensione ad candelas immunes inhabitarent, nullas ad lumina præstationes erogandas; ubicunqve vero qvis bona pupilli ex mandato legitime administraret, in ea paræcia, ubi

---

[56]) Ibid. pag. 486.

[57]) Qvo melius intelligatur, cur præpositis hæ mulctæ cesserint, monendum est, munus eorum antiqvitus non modo in eo constitisse, ut templorum et sacerdotum inspectores agerent, verum etiam in hominum dictis atqve factis taxandis et notandis, qvippe qvi episcoporum vicarii et emissarii essent, et ad eos omnia contra jus canonicum commissa deferrent; pro qvo officii onere, præter tributum, *prófasts gjaftollr* (præpositi donativum) dictum, dimidia omnium novem vel infra marcas importantium causarum pars illis concessa fuit, reliqvarum vero mulctarum episcopis rationem reddere debuerunt. Hinc factum est, ut populum emungendi nullam facile occasionem prætermitterent.

pupillus tempore pascali sacra cæna frueretur, tributum ad lumina pendendum; item, sive paterfamilias sive materfamilias post tempus mutandi domicilii obiret, et res familiaris indivisa exinde permaneret, unicam tantum candelarum pensionem et unicas decimas, qvamvis plures essent hæredes, persolvendas; si vero res familiaris hac occasione divideretur, ad tempus pascale pensionem sæpe nominatam a singulis erogandam; a conjugibus etiam, si uncias decem, vel minus qvam *hundredam* [58]) possiderent, et uterqve laborando pares essent, unicam tantum candelarum pensionem offerendam, sed, si hundredam plusve possiderent, aut si tantundem alterutri esset, binas esse solvendas [59]).

§ 6.

De aliis templorum annuis reditibus.

Nec silentio prætereunda est annua pensio perantiqva, *heytollr* dicta, sive tributum fæni, olim 16 obolos non excedens, jam vero unius agni pasturæ respondens. Qvamdiu privati templa omnia tenebant, et e præscripto Juris eccl. Veteris sacerdotes domi

[58]) *Hundrað* ubiqve in jure islandico et semper 120 numero complectitur, sive centum majus sic dictum, ita ut centum et viginti ulnarum pretium contineat; ulna vero æqvabat decem nummos islandicos, sed qvatuor obolos danicos. Cæterum hæc copiose dataqve opera explicata sunt in Hist. Eccl. T. 1, p. 63—66; cfr. etiam hac de re M. Stephensen commentat. de legibus islandicis &c. p. 44.

[59]) cfr. Hist. Eccl. T. 2, p. 223.

sustentabant, neqve hi villicationem instituerant, tributum istud fænarium ad templorum possessores redundare solebat; mature tamen ab his ablatum, sacerdotibus cessisse, antiqva episcoporum Statuta indicant [60]). His qvoqve reditibus annumeranda sunt *tributa de sacellis*, sive oratoriis, patronis templorum, ad qvæ pertinebant, solvenda, qvæ supra in cap. 1, § 4 commemorata sunt.

§ 7.

De incertis templorum reditibus.

Hæc hactenus de tributis, qvotannis in usus templorum erogandis; sed præterea templa alios fortuitos et incertos e donariis variisqve oblationibus reditus habuerunt. Cum enim magno splendore lautisqve conviviis consecrarentur, ad qvæ non solum parochiani, sed alii etiam extra paræciam habitantes, celebranda confluerent, Sancto, cui templum dedicandum fuit, convivæ munera haud contemnenda offerre solebant [61]). Idem qvoqve valet de die dedicationis templi, ex utriusqve Juris ecclesiastici præcepto, solenniter qvotannis celebrando [62]). Condi-

[60]) Ibid. pag. 112, 490, 492, 509.

[61]) Ex. gr. Cum templum Sælingsdalstungense in toparchia Dalensi ab episcopo Jona Halthori filio inauguratum fuit, tributum unciale de qvatuor paræciæ prædiis illi assignatum est; cfr. Hist. Eccl. T. 2, p. 95.

[62]) *Kirkjudagur* a *Patrónusdagur* distingvi debet, qvi, ut diversi erant, ita nec semper in idem tempus incidebant; ille fuit dies templi natalis, qvotannis solenniter celebrandus,

tores templorum ea variis donis, armentis, pecoribus, vel etiam fundis et prædiis in sui conservationem locupletasse, supra in § 1 monuimus; horum autem vestigia curiones reliqvi, aut proprio instinctu legentes, aut imperio episcoporum, aut deniqve avaritia patronorum ducti, non tantum pro se, sed suis etiam successoribus promittebant, ut e qvavis curiæ villa templo aut sacerdoti, portio lactis, casei, calceamenta, agnus anniculus et id genus alia qvotannis penderentur. Qvæ omnia tributorum genera, ut *ostatollr*, *skjæðatollr*, *lambatollr*, uno nomine *Ískylld* comprehensa fuerunt. Horum pleraqve intra annos 1400 et 1575 obsolevisse, testimonio sunt indices templorum a Vilchino et Gislao episcopis concinnati, cum in illis cev usitata, in his raro aut nunqvam commemorentur. Nec silentio omnino prætereunda est hereditas, qvæ e bonis sacerdotum relictis templis cessit, qvo nomine Jus eccl. Vetus cap. 13 tres centenarios unciarum, qvarum singulæ sex ulnis constarent, templo, cui pastor initiatus fuisset, ejusve possessori solvendos constituit; hoc autem Arnas episcopus, juxta Statutum a Jona archiepiscopo 1278 factum, ita mutavit, ut qvivis sacerdos decimam ad minimum omnium bonorum partem,

---

hic festum templi patrono sacratum; utriqve diei communis fuit campanarum sonitus, variæ cæremoniæ lautumqve convivium, qvo festivitas concludebatur; necnon ipsa tandem abrogatio in synodo generali anno 1573; cfr. Hist. Eccl. T. 3, p. 383.

qvæ de templo, sive mobilia, sive immobilia fuerint, accepisset, sanctæ Ecclesiæ legare teneretur; qvod si qvis postea negligeret, Ecclesiam ejusdem ex asse hæredem fieri [63]); qvod præceptum Gyrderus episcopus ita denuo inculcavit, ut cuicunqve sacerdoti decima pars, non modo eorum, qvæ de templo accepisset, sed omnium omnino acqvisitorum, sanctæ Ecclesiæ donanda esset [64]). Hanc tamen hæreditatem parum lucri templis attulisse, inde liqvet, qvod in libris eorum daticis perraro illius mentio facta sit. Incertum qvidem, sed haud exiguum templis lucri genus fuerunt oblationes, aut ab ipsis personis, dum vixerunt, aut ab hæredibus factæ, qvibus missæ pro salute mortuorum canendæ redimerentur. Hæ oblationes, qvæ tam rebus mobilibus [65]), qvam immobilibus [66]) constabant, ex qvo distinctio inter reditus templi bonaqve templi possessoris fieri coepta est, cum qvatuor imperialium valorem non excederent, in horum loculos migrasse videntur; majores vero ad ipsam templorum sortem sine dubio accesserunt; cfr. infra cap. 3, § 7. Hic etiam commemorandum est marsupium, sive tabula, qvovis festo

---

[63]) cfr. Hist. Eccl. T. 2, p. 48.

[64]) Ibid. pag. 85.

[65]) cfr. indicem templi Sælingsdalstungensis in Hist. Eccl. T. 2, p. 96.

[66]) Hoc. ex. c. patet ex indice templi Kolbeinstadensis, cui circa annum 1313 prædium *Heggstaðir* hoc nomine assignatum fuit.

die, dum concio habebatur, ad stipem in templi pauperumqve usus qværendam in templo circumlata; necnon e duobus in templo gazophylaceis, alterum ad hoc pertinens, non procul ab altari constitutum. Bona testamenti nomine legata, primo post religionem christianam in Islandia receptam seculo, prorsus ignota fuerunt; codex enim legum *Grágás*, circa annum 1118 publice sancitus, neqve hæc, nec ulla alia munera templis eorumve ministris offerenda commemorat [67]; nec illud Juris eccl. Veteris cap. 9 præceptum, qvo fundi dominus templum tantis bonis ditare jubetur, ut ideo episcopus illud consecrare velit, ad testamenta trahi potest, qvæ demum in Jure eccl. Arnæano cap. 9 occurrunt, minis gravibus adjectis, si qvis defuncti liberalitatem adimplere differret, aut talem dispositionem, imprimis pro salute animæ factam, rescindere conaretur; et in Appendice ejusdem Juris cap. 2, qvod e notissima illa Transactione Tunsbergensi desumtum est, testamenta causis ecclesiasticis annumerantur; deindeqve a Jona

---

[67]) In *Arfaþáttr* (sive de hæreditatibus) cap. XI, *at tíunda fè sitt til sálubóta sèr*, sive bona sua ad animam expiandam decimare, occurrit, et idem est ac bona majoribus decimis in gratiam pauperum decimare, qvod nemini nisi semel, posthabito hæredis consensu, facere licuit; et l. c. vocabulum qvidem *sálugjöf* (Sjælegave), sed longe alio sensu, reperitur; est enim id, qvod in eos confertur, qvi paupertatis causa comitialis profectionis pretium expendere non tenentur et bona sua operasqve suis sustentandis insumere necesse habent.

Halthori filio episcopo Schalholtensi, hoc de testamentis præceptum in constitutione qvadam [68]), ad Decretum Jonæ archiepiscopi accommodata [69]), ita enucleatum aliisqve inculcatum fuit, ut unicuiqve patrimonium suum ex asse, aut ejus partem sanctæ ecclesiæ donandi facultas competat, sive illa possessionem ex donatoris voluntate die ejus emortuali, sive prius, qvocunqve modo libuerit, adeat, nec donator ullius consensum hac in re reqvirere opus habeat, cum in illa donatione, qvam qvis pro anima sua in Deum et sanctam ecclesiam conferat, optimus is sit limes, qvi limite careat. Hos lucri fontes, templis valde qvæstuosos, opplere, testamentisqve obviam ire leges civiles conatæ sunt; primum enim codex legum *Grágás* in *Arfaþáttr* cap. 11 cavit, ne qvis alteri plus qvam duodecim uncias largiatur; deinde in codice legum, vulgo *Jónsbók*, ubi de hæreditate agit cap. 28, cautum est, ne qvis plus qvam qvintam bonorum acqvisitorum, decimamqve hæreditatis partem aliis donet; qvæ lex regio rescripto, qvod ita incipit: *þenna hátt hæfir syslumönnum vorum oc lögmönnum at hafa* etc. (supra Nota 35) iterum inculcata fuit, constitutumqve, nec donationes testamento, sive in ecclesias, sive coenobia, sive alios institutas, ultra legis præscripta valere. Cum vero episcopi et clerici catholici animos vulgi

[68]) Hist. Eccl. T. 2, p. 65.

[69]) Ibid. T. 1, p. 155.

pro lubitu flectere possent civilemqve auctoritatem flocci penderent, multis templis, maxime tamen cathedrarum episcopalium, bona testamentis relicta esse, veteres templorum indices testantur.

Cap. 3.

DE JURE PATRONATUS QVOAD VOCATIONEM ET REDITUS ECCLESIASTICOS.

§ 1.

De vocatione ad munera ecclesiastica antiqvissimis temporibus.

Vocatio ad munera ecclesiastica cum singulari in Islandia templorum institutione initio arctissime cohæsit, qvæ ut rite explicari possint, pauca qvædam historica de primis ibi sacerdotibus præmittenda sunt. Nonnulla templa ante annum 1000, qvo religio christiana in Islandia legibus sancita est, subindeqve varia passim exstructa esse, supra in cap. 1, § 2 monitum est; tum vero sacerdotes adeo rari erant, ut, qvi sacra in templis, qvamvis condita essent, administrarent, conduci neqvirent [70]). Brevi tamen numerus eorum augeri cæpit, cum et nonnulli clerici ab episcopo Friderico, a Stefnero atqve

[70]) cfr. *Eyrbyggjasaga* cap. 49. *Prestar urðu eigi til at veita tiðer at kirkium þótt gervar væri, þvi þeir vóru fáir á Íslandi í þann tíma* ɔ: Sacerdotes, qvi sacra in templis, qvamvis condita essent, celebrarent, impetrari neqviverunt, qvippe qvi tunc temporis in Islandia pauci essent.

Thangbrando, religionis christianæ primis in Islandia præconibus, relicti, et a Gissuro Hjaltioqve advecti sint. Præterea complures, qvi dignitatem episcopalem jactabant, hinc illinc, e Norvegia, Anglia, Hibernia atqve Germania adventantes, sacra partim ipsi obierunt, partim alios sacro officio initiarunt. Episcoporum peregrinorum primus fuit Fridericus, e Saxonia oriundus, qvi cum Thorvaldo Kodrani filio religionem in Islandia prædicavit, sed ab incolis male exceptus post qvinqvennium (981—86) inde discessit. Alter Bjarnhardus Vilradi filius, vulgo *bókvísi* (literarum gnarus), genere Anglus, circa annum 1020, instinctu Olavi Sancti, Norvegiæ regis, in Islandiam trajecit, ibiqve qvinqvennium commoratus est. Tertius Kolus, qvi in Islandia mortuus, primus episcoporum Schalholti sepultus est [71]). Qvartus Jonas episcopus, natione Hibernus, qvi postea dicitur in Vindlandiam profectus, multos ad cultum Dei perduxisse, sed postea comprehensus et tormentis cruciatus, tandem capite truncatus fuisse [72]). Qvintus Rudolphus 19 annos in Islandia transegit, et in prædio *Bœr* in Borgarfjördo habitavit, ubi primum in Islandia coenobium fundavit, abiensqve tres ibi monachos reliqvit [73]). Sextus Henricus bien-

[71]) cfr. *Hungrvaka* cap. 2.

[72]) Ibid. cap. 3.

[73]) cfr. *Schedas* Arii p. 9, ubi in Islandia 19 annos habitasse dicitur; *Hungrvaka* cap. 3. *Landnáma* P. 1, cap. 16. Qvod Mantissa ad Landnámabók p. 396 ita effert:

nium in Islandia mansit. Septimus Bjarnvardus, episcopus Saxo, qvi postqvam regi Magno, cognomine Bono, adhæserat, in Islandiam iter fecit, et 20 annos hic transegit; ille in duobus Vatnsdali prædiis, Giljaæ ac Steinstadis domicilium habuit; plurimas res, per qvas miracula facta esse dicuntur, consecravit, ut templa et campanas, fontes et fluvios, lacus atqve rupes. Qvamdiu Haraldus Sigurdi filius, cui inimicus fuit, Norvegiam rexit, in Islandia se continuit; postea peregre discedens regi Olavo *Kyrre* se addixit, ejusqve rogatu Romam petiit et pacem defunctis impetravit; reducem rex episcopum in insula Selia constituit, unde Bergas profectus ibi obiit. Præter hos nominantur qvinqve alii, Örnulfus, Gottskalkus, Petrus, Abrahamus, Stephanus, qvi episcopi titulo gloriabantur. De his in universum Hungrvaka cap. 2 ita loqvitur: *Um daga Ísleifs biskups komu út biskupar af öðrum löndum ok buðu margt linara enn Ísleifr biskup, urðu þeir af því vinsælir við vonda menn, þartil er Adalbertus erkibiskup sendi bréf sitt út til Íslands, ok bannaði mönnum alla þiónustu af þeim at þiggja, ok kvað þá suma vera bannsetta, enn alla í óleyfi sínu farit hafa* ɔ: Isleifi tempore ex aliis regionibus episcopi huc advenerunt, qvi multa remissius

Rudolphus heic fuit 19 annos, qvi monasterium Baj in tractu Borgarfjördo fundavit, sed Lundum incoluit; et hanc F. Joh. in Hist. Eccl. T. 1, p. 87 secutus est; cfr. etiam T. 4, p. 22—23.

qvam Isleifus docuere, eaqve ratione malorum sibi favorem conciliarunt, usqve dum Adalbertus archiepiscopus, litteris in Islandiam missis, eorum uti ministerio omnes prohibuit, qvosdam eorum communione fidelium exclusos, omnes autem injussu suo discessisse, commemorans. Ex hoc clericorum recensu apparet, primos in Islandia presbyteros omnes fuisse peregrinos, qvi a templorum possessoribus ad sacra administranda conducti et arcessiti fuerunt; a qvibus etiam haud pauci templorum domini, e ditissimorum civium numero, sacerdotes initiati sunt, (tanta enim post nuper introductam religionem christianam habebatur sacerdotii dignitas, ut eadem ornari primates honori sibi ducerent) sacraqve aut ipsi, aut per vicarios, in templis suis obierunt; cumqve omnia templa ad privatos pertinerent, *vocatio ad sacrum ministerium penes privatos templorum fundorumqve dominos primitus fuit.* Sed postqvam anno 1057 Schalholtenses, et 1107 Holenses proprium nacti sunt episcopum, hanc parochi vocandi potestatem ita sensim circumscriptam fuisse, verisimile est, ut privati templorum domini modo jura *præsentationis* retinuerint, qvod etiam confirmatur Juris eccl. Vet. cap. 13 præcepto, qvo iis fundorum dominis, qvi jure patronatus gauderent, sed ipsi sacris non essent initiati, injunctum fuit, ut juvenem qvendam propriis templive sumtibus educarent et ita erudiendum curarent, ut suo

tempore episcopo sisti et sacris initiari posset [74]). Ceterum in republica islandica omnes parochianos curionis vocandi æqvale jus antiqvitus habuisse, merito exspectares; talis vero consvetudinis in veteribus historiis nullum vestigium reperitur, et qvominus unqvam obtineri potuerit, duæ potissimum res impediunt, primitivus qvippe civitatis status, in qvo ecclesia christiana nata est, qvi aut fuit aristocraticus, aut ad eum proxime accedens ex oligarchico et aristocratico mixtus; necnon ipsa parochiarum formatio, qvæ, ut supra ostendere studuimus, longo demum temporis intervallo, nec prius absoluta fuit, qvam episcopi hæc patronatus jura invadere sibiqve vindicare cæpissent.

§ 2.

De origine Beneficiorum ecclesiasticorum.

Qvamvis Beneficiorum in Islandia origo ad diuturnæ inter episcopos et privatos de juribus patronatus litis historiam proprie pertineat et ut hujus controversiæ fructus consideranda sit, hic tamen eam præoccupare paucisqve attingere ideo necessa-

[74]) l. c. "Licet et cuivis puerum templo suo erudiendum curare. Cum ipso puero contrahere debet, si sedecim annorum est, si vero natu minor fuerit, cum ejus tutore legitimo. Talis contractus, qvem ineunt, omnino servandus est. Adolescenti educationem et informationem suppeditet. Ordinato autem et ad munus sacerdotale admoto, qvi eum erudiri curavit, vestes sacras librosqve, qvos episcopus ad sacra duodecim mensium peragenda, necessaria judicat, subministret".

rium est, qvod ecclesiam islandicam novo qvasi habitu induit, sive vocationem ad munera sacra, sive redituum ecclesiasticorum administrationem spectemus, adeo ut, ignorata origine Beneficiornm, qvæ de his dicenda sint, intelligi vix qveant. Origo Beneficiorum in Islandia, legibus definita, ad annum 1297 referenda est, qvo tandem inter Ericum Magni filium, vulgo *prestahatari*, Norvegiæ regem, et Arnam Thorlaci episcopum Schalholtensem de juribus patronatus *Augvaldsnesi* ita transactum fuit, "ut templa majora, sev qvæ totum fundum possiderent, episcoporum potestati committerentur, minora vero laici, qvorum fundos dimidios vel ultra possiderent, a fundatore adjectis [75]) conditionibus, retinerent". Qvot hac occasione templa e privatis in publica transierint, memoriæ nusqvam proditum legitur, sed haud pauca in horum numero fuisse, inde colligi potest, qvod et multi templorum conditores iis vel totum fundum assignaverant [76]), et episcopi jampridem nonnulla templa eorumqve fundos sub suam potestatem redegerant (cfr. infra cap. 4, § 2 et 4). Verum deinde compluria privatorum templa in Beneficia ecclesiastica mutata sunt, cum episcopi catholici a templorum possessoribus rationes decimarum non solum exigere inciperent, sed nil qvoqve aliud ad hæc nomina expedienda, qvam partem fundi, in qvo locata fue-

[75]) cfr. supra cap. 2, § 1.

[76]) Ibid.

runt, admittere vellent, eum in finem, ut, qvando illis plus qvam dimidia pars ejus vindicata esset, laici patronatus jure privarentur; qvæ episcoporum agendi ratio egregie apparet e libello qvodam supplici, qvem regi Hacono, cognomine *háleggr*, anno 1319 Holanæ diæcesis cives, insolentiam episcopi Auduni, decimas qvadripartitas ex qvovis asse postulantis aliaqve innovantis, conqvesti miserunt[77]); ubi inter alia ægre tulerunt, qvod episcopus templi possessori idoneis testimoniis convincendum contenderet, bona mobilia, aut rura procul sita, pecunia, qvam templa in nominibus haberent, comparata esse; sin minus, eadem in fundo, cui affixa essent, qvinqvaginta portiones possidere; seqve prævidere dixerunt, fore, ut paucorum annorum spatio, omnes fundi templis adjicerentur. Verum hi laicorum nisus frustranei fuerunt; episcopi enim ab incepto adeo non destiterunt, ut deinde anno 1480 de eodem privati templorum patroni, litteris ad regem Christianum Primum missis, conqveri necessarium haberent, qvi, rescripto Dominica cantate 1481 dato, his episcoporum invasionibus obviam ire conatus, constituit, licitum esse cuicunqve colono, qvi nomina ecclesiæ contraxisset, ejusve hæredibus, talibus mercimoniis, qvalia haberi possent, vel etiam prædiis eorum com-

---

[77]) Hæc epistola reperitur in Hist. Eccl. T. 2, p. 166 sqq.

munibus illa expedire, si hæredum nemo talia prædia reluere debitumqve numerare vellet[78]).

§ 3.

De jure vocandi ad Beneficia.

Templa, qvæ Transactione Augvaldsnesensi in § præcedente commemorata, e privatis in publica transierunt, haud parum mutationis subierunt, cum ad ea vocandi bonisqve illorum ac reditibus sacerdotes præficiendi episcopi jus nanciscerentur, qvod usqve ad Reformationis tempora exercuerunt, exceptis tantum qvatuor ecclesiis, Breidabolstadensi,

---

[78]) Ibid. p. 241—42.

Hanc episcoporum agendi rationem, qvo luculentius res ante lectoris oculos sistatur, uno probare liceat exemplo. Prædium qvippe *Lundur* in tractu *Lundareikjadal*, intra toparchiam Borgarfjördensem situm, antiqvitus inter optimos et lautissimos Islandiæ fundos numeratum, ad laicos initio pertinuit et in 120 portiones divisum fuit, qvarum dimidia pars templo, dimidia patrono fuit. Sed anno 1493 episcopus Schalholtensis Stephanus Jonæ filius hoc prædium in Beneficium ecclesiasticum mutavit, causam interserens, partem laici, ob illius in rationibus reddendis incuriam commissam esse, pastori autem ibidem residenti, duas qvotannis uncias argenti episcopo, decimas vero earum exactoribus e dimidia fundi parte solvere mandavit. Hinc etiam, ut aliunde, apparet, catholicos in Islandia episcopos, non tantum ecclesiæ, sed sibi etiam et cathedræ episcopali consuluisse. Hoc factum innuitur in Hist. Eccl. T. 2, pag. 493. Hoc modo multi melioris notæ fundi et prædia templorum peculium reddita sunt.

Oddensi ac Hytardalensi in Schalholtina, sed Grenjadarstadensi in Holana diæcesi, qvas conferendi jus archiepiscopi et canonici Nidarosienses, verisimiliter seculo decimo qvarto, sibi arrogarunt[79]), qvibus præfecti curiones, *canonici Archicathedræ Nidarosiensis* vocabantur; reliqvas autem omnes præbendas, dominio suo subjectas, tanqvam fevda vel prædia beneficiaria, cuicunqve pro lubitu conferre potuerunt, in qvæ sacerdotibus, non, qvod vocant *directum*, sed *utile* tantum dominium concesserunt, ita ut Beneficium nec alienare, nec hæreditate in alios transferre possent, sed propria et priva omnibus cjus mobilibus et immobilibus bonis utendi, illiusqve reditibus fruendi potestate gauderent[80]).

---

[79]) Hist. Eccl. T. 2, p. 373 et T. 3, p. 92.

[80]) Hanc rem illustrat ea collationis præbendarum formula, qva Gottskalkus Nicolai filius episcopus Holanus (1497—1520) uti solebat, qvæ in Hist. Eccl. T, 2, p. 628 allata est, ita se habens: "Universis Christi fidelibus, patentes literas inspecturis sev audituris N. Dei gratia episcopus N. salutem in Domino sempiternam. Noveritis Nos Ecclesiam Sancti N. apud N. dilecto nobis in Christo filio Domino N. N. Sacerdoti nostræ diæceseos, cum omnibus suis juribus et libertatibus et pertinentibus, habitis et in futurum habendis, præter portionem Ecclesiæ qvi pro nunc creditur non qvovis modo abalienaverit, neqve Ecclesiam vel curiam sacerdotalem desolaverit, Nobis nostrisqve successoribus canonice intrantibus debitam et filialem exhibuerit obedientiam, reverentiam pariter et honorem. Istis non tentis et rite servatis, hæc nustra collatio irrita sit, et ioanis. In cujus

§ 4.

De jure vocandi ad templa privatorum.

Qvod templa, qvæ privatis, sive laicis, Transactione Augvaldsnesensi cesserunt, attinet, horum domini pristina, qvæ habuerant, præsentationis jura integra retinere debuissent; verumtamen hæc exinde sensim oblivioni data esse, et in desvetudinem magis magisqve abiisse, multa nobis persvadent. Primum qvippe circa annum 1179 episcopi Thorlacus Thorhalli et Brandus Sæmundi, jussu Eysteini archipræsulis, clericis islandicis cælibatum injungere adgressi sunt, et paulo post Ericus archiepiscopus, litteris ad Thorlacum episcopum circa annum 1190 datis, prohibuit, ne prætores sacris initiarentur; ex qvo autem sacerdotibus ad conjugia ineunda et munera civilia obtinenda via præclusa est, templorum domini perraro sacris inaugurati fuisse videntur, qvo factum est, ut ipsi in templis suis sacra obire neqvirent. Deinde numerus qvoqve sacerdotum ita auctus erat, ut in una diæcesi multo plures pastores qvam paræciæ invenirentur [81]), exorto qvodam sacerdotum genere,

---

collationis testimonium secretum nostrum præsentibus est appensum. Datum apud sedem nostram episcopalem Hola etc.

[81]) Paulus Jonæ episcopus Schalholtensis († 1211) accuratum templorum et sacerdotum suæ diæcesis numerum iniit, *et templa* 220 *invenit* (cfr. supra Cap. 1, § 2) sed sacerdotes 290, etenim qvædam templa plures habebant

qvi nullum certum, cui ministrarent, cætum aut tribum habentes ex uno in alium locum circumvagarentur operamqve suam elocarent; unde privati templorum patroni, crescente indies clericorum multitudine, juvenem literis sacris imbuendum curare, opus non amplius habuerunt; cum vero et hujus rei copiæ, sibi a Jure eccl. Vetere concessæ, renuntiare cæpissent, nec ipsi sacris initiari vellent, jus præsentationis illis competens episcopi tanto leviore negotio circumscribere potuerunt, qvanto plures jam sacerdotes reperiebantur, qvi nullas habentes præbendas, in ædibus episcoporum eorumqve beneficio viventes, in templis cathedralibus subservirent, et hujus vel illius cathedræ canonicorum nomine præditi essent; hos enim, auctoritate episcoporum commendatos, qvamcunqve vacantes præbendas invadendi occasionem arripuisse, haud dubium videtur. Huc deniqve accedit, qvod scholæ, in qvibus sacerdotes formarentur, jam conditæ, episcoporumqve moderamini et inspectioni subjectæ essent; cum enim hic muneri sacerdotali gerendo aptissimi invenirentur, indeqve parochi a privatis templorum dominis petendi essent, e nutu et auspiciis episcoporum vocationem magna ex parte factam esse, liqvet.

---

sacerdotes et tum haud pauci vagi sacerdotes reperiebantur, qvi certa sede et cætu carerent.

§ 5.

De templorum bonorumqve ad ea pertinentium conservatione.

In officio templa conservandi, sive de novo instauranda sint, sive modo aliqva ex parte reficienda, eorum patronis inculcando, utrumqve Jus ecclesiasticum, Vetus (cap. 9) atqve Novum (cap. 4), consentiunt, verbisqve fere iisdem jubent fundi dominum templum in prædio suo exstruere, ubicunqve antea ædificatum fuerit, opusqve tam mature aggredi, ut intra duodecim menses, si fieri possit, perfectum sit. (cfr. supra cap. 1, § 3). Præterea Jus eccl. Vet. cap. 12 templum ita vilescens, ut qvalibet tempestate sacra ibi peragi neqveant, intra dimidium mensem reparari, alias dominum templi tribus marcis mulctari, præcipit[82]). Si patronus templi conservandi, qvod subierat, officium neglexit, lis ei intendebatur, qvæ actio, si qvibus instituenda fuit, ea supersederent, publica evasit. Templum ruinosum si patronus exstruere, aut nollet, aut neqviret, in aliorum, hoc officium subeuntium, possessionem transiit. Si qvis vero peregre profectus esset, aut ob minorennitatem curatelæ adhuc subesset, et curatores ejus templum conservare detrectarent, ita ut ab aliis reficeretur, tunc res suas recuperanti optio data fuit, utrum impensas ab his factas restituere,

[82]) Hanc qvoqve mulctam Vilchinus episcopus Schalholtensis in Statuto 1396 edito templum intra duodecim menses instaurare negligenti irrogavit; cfr. Hist. Eccl. T. 2. p. 138.

an dominium templi in illos transferre vellet. Nec solum templi conservandi officium patrono incubuit, sed legibus qvoqve cautum est, ne qvid templo suo qvisqvam adimi pateretur. In eo gentiles christianiqve consenserunt, summam ei deo aut sancto, cui templum aliqvod consecratum esset, contumeliam inferri, si rebus ipsi semel dedicatis spoliaretur, qvæ sententia cum religione mutationem non subiit, sed eadem omnino permansit, cum episcopi, cev ad promovendam religionem, qvæ in sanctorum adoratione magna ex parte constabat, templis condendis, conservandis atqve ditandis acriter iusisterent. Hinc mox in Jure eccl. Vetere cap. 10 constitutum videmus, ut, si qvis bona templo alicui assignata auferret, expenderet, donaret, aliisve divenderet, utriqve tam venditori, qvam emtori malæ fidei relegationis poena irrogaretur; qvæ actio templi curatori, si vellet, si vero nollet, populo fuit instituenda; si autem ipse templi patronus vel donator dotem templi distraheret, illi ut ceteris relegatione sacrilegium expiandum fuit, qvæ qvoqve actio populo competere declarata est, et novem vicini in forum causæ agendæ ut veridici convocari debuerunt, qvorum testimoniis sacrilegii convictus, exilio mulctatus fuit, resqve, si alienata non esset, templo restituenda, alienata vero tanto pretio resarcienda, qvanti ablatam coloni æstimarent, ceterum ille, sive emtor sive venditor esset, qvi solvendo magis idoneus haberetur, actione repetundarum petebatur, uterqve

autem relegationi obnoxius erat. Ad hanc bonorum ecclesiasticorum alienationem avertendam, in utroqve Jure eccl., Vetere[83]) pariter ac Novo[84]), sancitum est, ut templi cujusvis patronus inventarium bonorum, a se aliisqve territorii incolis templo donatorum, conficiendum curaret, idqve ad rupem juris dicundi synedriumve, vel conventum vernalem, cui interesset, notum faceret, necnon qvotannis coram cætu ejus templi qvam maxime freqventi recitandum curaret. Cum vero harum rerum inspectio episcopis molesta difficilisqve ideo redderetur, qvod non nisi unicum horum inventariorum exemplum suum cuique templo esset, ineunte seculo decimo qvarto, eorundem nunc ex tota diæcesi, nunc ex aliqva ejus parte, collectionem adornare episcopi aggressi sunt; qvales fuerunt, in dioecesi Schalholtensi: Jonas Sigurdi, cujus auspicio 1343 album qvorundam in qvarta orientali templorum cum eorundem universarum possessionum catalogo concinnatum fuit; deinde Vilchinus, sive Vilhelmus, qvi anno 1397, codicem, qvi ab eo Vilchinianus (*Vilkíns Máldagi*) dicitur, indicem omnium diæcesis Schalholtanæ templorum eorumqve possessionum, prædiorum scilicet, ornamentorum, instrumentorum, pecorum, supellectilium, et qvicqvid tandem ad religionem et cultum Dei antiqvitas contulerat, continentem, confici

---

[83]) Cap. 10.
[84]) Cap. 15.

curavit; simile deniqve in eadem diæcesi registrum episcopus Gislaus Jonæ circa annum 1575 concinnavit, qvod a rege Friderico 5to, speciali rescripto anno 1749 edito, vim legis habere jussum, hodiedum valet. In diæcesi Holana Audunus cognomine Rufus Thorbergi filius, libellos daticos, sev rationaria, omnium in hac dioecesi templorum circa annum 1318 conscribi curavit[85]); ejusqve deinde vestigia legerunt, episcopus Jonas Erici Calvus 1365, Petrus 1394, Olavus Rögnvaldi 1461, officialis Sigurdus 1500.

§ 6.

De antiqvissima redituum ecclesiasticorum administratione.

Qvemadmodum prætores telonium in usus fanorum erogandum colligere solebant, (cfr. supra cap. 1, § 1), ita qvoqve primi templorum conditores tributum aliqvod ecclesiasticum inter provinciales sacra freqventantes absqve dubio coëgerunt; deinde, ut supra monitum est, stati sev ordinarii reditus templis assignati sunt, scilicet qvarta decimarum pars, pretium sepulturæ in cæmeterio, tandemqve pensio pro cereis vel candelis, qvæ tributa omnes qvotannis solvere tenebantur. Hæc omnia

[85]) In Christiani 6ti Instructione, episcopis Islandiæ anno 1746 die 1 Julii data, Art. 16 et secundum hanc in editione Juris eccl. Arnæani Thorkel. p. 101, nota 120, conscriptio hujus rationarii ad annum 1398 perperam refertur.

templorum patroni ut proprias facultates administrabant, ea suis templive usibus, prouti opus erat, adhibebant, neminiqve annuorum templi redituum rationes reddebant; qvo factum est, ut vel etiam longo post tempore, sive de reditibus sive expensis faciendis sermo est, qvid templo et qvid ejus possessori adscribendum sit, vix ac ne vix qvidem dignosci possit. Brevi tamen episcopos horum omnium supremos inspectores agere voluisse, verisimile est, ejusqve mox in Jure eccl. Vetere cap. 40 vestigia reperiuntur, ubi mandatum est, juxta constitutionem ab episcopo factam decimas templis solvi; qvod Jus eccl. Arnæanum cap. 15 ita accuratius definiit, ut episcopo liceat, decimas templo cuidam adscriptas, pro lubitu ab eodem auferre, si remissior legitima eorundem cura sit. Attamen in neutro Jure ecclesiastico qvicqvam de annuis redituum ecclesiasticorum rationibus, a patronis templorum reddendis, expresse determinatum est.

§ 7.

Unde qvotannis reddendæ redituum rationes primum ortæ sint et de illarum ambitu.

Qvamvis in neutro Jure ecclesiastico templorum possessores aut patroni annuas redituum ecclesiasticorum rationes reddere disertis verbis jubeantur, tota tamen hierarchiæ enucleatio ad tale qvid serius ociusve præcipiendum duxisset, cum nullam rem privatam intra suum territorium constitutam esse

patiatur, sed eam aut in se recipere, aut, si id non successerit, delere conetur. Harum rationum exigendarum primum, cui seqventes episcopi innitereniur, fundamentum, in Jure eccl. Arnæano, qvod cleri dominii consummationem accelerare et qvovis modo promovere studuit, jactum esse videtur, cum jubeat laicos templis pro suo decimarum qvadrante ornamenta tanti valoris redimere, nisi rebus aliis in conservationem sui opus habuerit (cap. 15), usum enim decimarum ita præscriptum ratio usus reddenda proxime seqvitur. Veruntamen neqve Beneficiarii, nec alii templorum patroni annuas redituum ecclesiasticorum rationes prius qvam seculo decimo qvarto reddidisse videntur, et, nisi multum fallimur, primum episcopus Holanus Audunus Rufus, et deinde Jonas Sigurdi episcopus Schalholtensis (cfr. supra cap. 3, § 5) hujus rei auctores fuerunt; certum vero est et ex annalibus constat, Vilchinum episcopum Schalholtensem statutum anno 1396 de bonorum templorum ab eorum patronis rationibus reddendis sanciisse [86]), et ex albo templorum, qvod sub ejus nomine habetur, apparet, rationes istas,

---

[86]) cfr. Hist. Eccl. T. 2, p. 134 et 138. In qvo statuto hæc sunt: "Item coloni, qvi templa administrant, præposito omnium bonorum, qvæ templa eorum possident, rationes reddant, decimarum omniumqve reliqvarum illorum possessionum, tradantqve decimas templorum, cum administrationem deponunt, et nihilo minus monstrent omnia templi bona, cum prædium relinqvunt" etc.

sacerdotibus et privatis templorum patronis invitis, passim tunc invaluisse. Nec tamen omnium omnino redituum ecclesiasticorum rationes, qvantum eqvidem video, episcopi promiscue exigebant, sed imprimis qvartæ decimarum templis solvendæ[87]), eam, ut opinor, potissimum ob causam, qvod multi illorum peregrini fuerunt, maximamqve redituum ecclesiasti-

[87]) Qvarta decimarum pars in qvibusdam templorum indicibus portionem ecclesiæ efficere, disertis verbis dicitur, idemqve e nonnullis episcoporum statutis apparere videtur. Hujus rei unum adferre juvat exemplum. Episcopus Holanus Olavus Rognvaldi filius anno 1481 nomophylaci Rafno Brandi ejusqve fratribus, qvi, defuncto patre, in gratiam matris, pro pecunia, qvam templo Bardensi, in tractu *Fljót* sito, debuerat, prædes semet interposuerant, diem dixit, qvod decimas, mortualia, aliosqve proventus templi Bardensis profudissent, cum templum valde ruinosum refectione opus haberet. Qva de causa sententiam dixerunt judices: debere Brandum ejusqve fratres, duobus testibus, qvi diutissime in paræcia Bardensi degissent, jure jurando declarare, qvantum e templi decimis, mortualiis, aliisqve pensionibus, tam pater, qvam filii accepissent, præterea ob retentas decimas tres marcas qvovis anno, et ipsas decimas dupplicatas pendere, qvod si ante certum tempus non præstarent, ipsum prædium tantamve illius partem episcopo aut templo adjudicaverunt (cfr. Hist. Eccl. T. 2, p. 601—2). Qvamvis hic mortualia aliaqve tributa templo solvenda nominentur, unice tamen ob decimas retentas aut consumtas mulcta templi possessoribus irrogata fuit; etsi lubenter fateamur, hic, ut alibi, verba de rationum reddendarum ambitu adeo esse ambigua, ut dubium sæpius sit, utrum solas decimas, an plures etiam templorum reditus continuerint.

corum partem in decimis constare, et illas in Islandia simili ac in Norvegia et Dania fundamento superstructas esse crediderunt; decimasqve revera antiqvitus longe maiores, qvam hodie fuisse, supra in Nota 46 monitum est. Qvamvis autem pleriqve episcopi decimarum præsertim rationem habuerint, eam tamen regulam non omnibus communem fuisse, ex Auduni Rufi episcopi Holani exemplo apparet, qvi omnium oblationum, vel etiam qvatuor imperialium valorem non excedentium, rationes a patronis templorum exigebat (cfr. supra cap. 2, § 7). E veteribus templorum indicibus cum vitis statutisqve episcoporum collatis, evincitur, eos decimas semper et ubiqve, ex qvo rationes redituum exigere coeperunt, portioni ecclesiæ annumerasse, eamqve qvavis occasione ad reliqvas oblationes templis debitas extendisse.

§ 8.

De redituum templorum ad reditus sacerdotales relatione.

Nec solum privatos templorum þatronos, verum etiam sacerdotes episcopi ad calculos vocarunt, si qvidem e notione hierarchiæ, omnium sacrarum rerum administratio et summa inspectio ad unum caput redire debet. Si vero in relationem inter templorum sacerdotumqve reditus accuratius inqvirere velimus, ad antiqvissima tempora nobis redeundum est, cum parochorum catholicorum nec ea-

dem omnium, nec eadem semper fuerit conditio. Qvatuor antiqvitus sacerdotum genera maxime obtinuisse videntur; primum eorum, qvi pro certa mercede templorum possessoribus operam suam sacram elocarunt, ad qvos referendi sunt primi in Islandia peregrini verbi divini præcones; secundum ipsi templorum patroni efficiunt, qvando sacris initiati fuerunt; tertium, qvi a templorum dominis educati illorumqve auspicio literis innutriti certo cuidam templo adscripti erant; qvartum deniqve homines solo sacerdotum nomine gaudentes, qvi sine certa sede atqve reditibus varias regiones errabundi pervagabantur (cfr. supra § 1 et 4). Ut sacerdotes operam suam elocantes in Islandia antiqvissimi fuerunt, ita nec initio ullos certos reditus habuerunt, præter eos, qvos a patronis templorum salarii loco acceperunt, qvod, prouti cum illis contrahere potuerunt, varium variis locis fuit, et præterea qvoqve villicatione operibusqve rusticanis vitam sustentarunt; sed anno 1096, ex episcopi Gissuri constitutione decimali, qvarta pars decimarum, et circa 1123, e præscripto Juris eccl. Veteris cap. 5, pensiones pro mortuorum sepultura, sive cantu funebri, sex ulnis constantes, parochis cesserunt. Legibus qvoqve constitutum fuit, ut, qvi villam ecclesiasticam inhabitaret, per bina semestria, pastorem legitimum ibi domicilium habentem, et die qvovis festo, nisi legitime impediretur, sacra peragentem, alere deberet. Si vero pastor missam ibi

rarius cantaret, colonus villæ ecclesiasticæ sacerdoti prandium, die, qvo sacris ibi fungeretur, præbere, ejusqve comitem, vel eqvum, si adessent, alere debuit[88]). Sed præterea etiam sacerdotes salarii loco aliqvid acceperunt. Singulis qvippe templorum dominis injunctum fuit, ut missas non pauciores qvam decem inter singula comitia, sive qvovis anno, acqvirerent, qvod si facere detrectarent, tribus marcis mulctabantur[89]), sed templum in sacra redimentis possessionem transiit; ex altera autem parte legibus cautum fuit, ne sacerdotes pluris qvam duodecim marcarum, acta inter duo comitia ministeria æstimarent, si vero operam suam sacram pluris facerent, venderentve, trium marcarum mulcta illis irrogata fuit[90]). Apparet sane, hæc nominatim de primo sacerdotum genere supra commemorato valere, sed neqve in ipsos templorum dominos sacris initiatos qvadrare, qvippe qvi solas decimas aliaqve ex legum præscripto a parochianis tributa solvenda acciperent, nec in juvenes a templorum patronis ad ministerium sacrum formandis, cum horum salarium legibus non esset definitum, sed modo constitutum, ut illis hi, de sustentatione et informatione prospicerent, eosqve ita castigari curarent, ut neqve ipsis neqve illorum cognatis dedecori esset, qvin imo ut

---

[88]) cfr. Jus eccl. Vet. cap. 12.

[89]) l. c.

[90]) Ibid. cap. 15.

proprios filios haberent[91]). Sacerdotum tamen, tali modo ad munus sacrum admotorum, conditio plerumqve misera fuisse videtur, siqvidem patronorum arbitrio magna ex parte relicta fuit ipsorumqve libertas adeo circumscripta, ut templum aut stationem sine venia deserere iis non liceret, desertor enim fugitivi instar reducendus, sed receptor exilio mulctandus fuit. Ex iis, qvæ in Jure eccl. Vetere cap. 9 et 40 de decimarum qvadrantibus, templis et sacerdotibus solvendis, dicta sunt, patet, utrumqve templorum patronis traditum fuisse, qvorum qvarta sacerdotalis, nisi ipsi pastores essent, sacris redimendis adhiberi debuit, neqve Jus Arnæanum, qvod alias privatorum patronatus jura qvocunqve modo sufflaminare studet, huic sacerdotalis decimarum qvartæ usui repugnat[92]). Hunc qvoqve diu morem obtinuisse, ut procuratores templorum etsiamsi privati essent, decimas sacerdotibus solvendas

---

[91]) Jus eccl. Vet. cap. 13. Ibi qvidem constitutum est, ut patronus templi cum puero, sedecim annos nato, si vero minor esset, cum ejus curatore legitimo, contrahere deberet, talisqve contractus, communi eorum consensu initus, servandus esset, veruntamen hos contractus ad arbitrium et nutum templi possessoris plerumqve accommodatos esse, cum nonnisi pauperes juvenes et ex aliena benevolentia viventes se ad hoc vitæ genus applicaverint, sacerdotesqve tali modo vocati parvi æstimati essent, suspicari licet.

[92]) Cap. 15. "Laici pensionem ad lumina, decimas, qvartam ecclesiasticam et sacerdotalem percipientes, pastori salarium pro sacris, loco ejus qvartæ, numeranto" etc.

acciperent, conspicuum est ex epistola illa, supra in cap. 2, § 7, laudata, qvam regi Hacono hálegg anno 1319 dioecesis Holanæ cives, innovationes episcopi Auduni conqvesti, miserunt, qvem inter alia ejus qvoqve accusarunt, qvod bonorum ecclesiasticorum dispensationem, contra priscam consvetudinem et consensum episcoporum superiorum, qvasvis oblationes infra qvatuor imperialium valorem, patronis templorum ad eadem restauranda et personas ecclesiasticas sustentandas, cum UNIVERSIS DECIMIS concedentium sibi arrogaret, contenderuntqve, decimas, oblationes atqve donaria patronis templorum cessisse, ut qvæ in alimoniam sacerdotum et mercedem pro missa cantata solvendam impenderentur. Idem etiam probari potest, constitutionis apographo, ab Eysteino Canonico et Eyulfo Brandi filio, qvos, ut generales ecclesiarum visitatores archiepiscopus Olaus in Islandiam miserat, anno 1358 edito, qvo præceperunt, ut qvilibet, qvi templi bona teneret, ex omnibus suis possessionibus, mobilibus atqve immobilibus, ubicunqve essent, sui proprii domicilii *debitas templo et* SACERDOTI decimas sumerent[93]). Hæc autem ad templa privatorum unice referenda esse, vix est, qvod moneamus [94]), cum post

[93]) efr. Hist. Eccl. T. 1, pag. 527—30.

[94]) Impensis in sacra resarciendis variæ oblationes atqve tributa templis solvenda et nominatim qvarta decimarum sacerdotibus debita, a patronis templorum adhibita fuerunt; tantumqve ex templi proventibus, qvantum sacerdoti susten-

Transactionem Augvaldsnesensem (anno 1297), Beneficiarios utramqve decimarum qvartam, templo sacerdotiqve debitam, percepisse, per se pateat. Ex qvo templa

---

tando sufficeret, ***Prestskyld*** (debitum pastorale) appellabatur; et cum reditus ad hoc ubiqve non suppeterent, ab episcopis passim constitutum fuit, qvot vaccarum æqvamenta aut qvanta pars fundi templo affixi pignori opponerentur, et tum hoc debitum ***Prestskyld í heimalandi*** vocabatur; qvantum autem fuerit, non omnino certum esse puto. F. Johannæus in Hist. Eccl. T. 3, pag. 365 eo significari vult, tantam fundi domestici portionem, qvæ decem vaccas, et tantum verveeum ac boum castratorum, qvautum decem vaccarum pretium æqvabat, sive decem vaccarum lactantium æqvamenta, et decem non lactantium (ɔ: ***X málnytu kúgyldi og X gjeldfjár kúgyldi***); et ad hoc probandum affert contractum anno 1553 inter Olaum Hjalti filium episcopum Holanum, et Vigfusum Thorsteini filium, templi Asensis in toparchia Thingeyensi patronum, de talibus erogationibus factum. Cum vero locarium ex his vaccæ æqvamentis juxta Cod. leg. ***Jónsbók Kaupab.*** 15 cap. non plusqvam duas ***Hundredas*** et octoginta ulnas efficiat, et hoc pecuniam in eodem legum codice ***Framfb.*** cap. 1 decrepito sustentando destinatam, non attingat, vocabuli istius notioni enucleandæ contractus laudatus parum lucis affundere videtur. Huc accedit, qvod nec in Hist. Eccl., nec alibi, qvantum scio, erogatio illa secundum nummos constituta reperitur. Cum præterea in templorum indicibus ***heimilisprestr*** (pastor domesticus) et ***prestr á kirkjufjám*** (pastor bonis templi sustentandus) commemorentur, nulla ***prestskyld*** ibidem nominata, et ***skyld í heimalandi*** (ɔ: ***prestskyld***), ubi ***heimilisprestr*** non esset, nullam hujus rei generalem regulam unqvam constitutam fuisse crediderim, sed suam cuiqve templo normam, e contractibus privatis, aut arbitrio episcoporum catholicorum oriundam, mansisse.

Transactione ista e privatis in publica transire coeperunt, horum certe reditus magnam in melius mutationem subierunt, cum omnes jam reditus ecclesiasticos, certos pariter ac incertos, in cap. 2 supra commemoratos, et omnia insuper salaria, parochis legibus attributa, nanciscerentur. Sacerdotum qvoqve, ad privatorum templa vocatorum, salaria magis magisqve aucta sunt, nam, præter qvam qvod Magnus Eyulvi filius episcopus Schalholtensis anno 1489 iis curionibus, qvi in duobus templis sacra obirent, ex utrovis templo unam *Hundredam* addixit, pro missis etiam, inferiis, vigiliis, aliisqve ministeriis extraordinariis oblationes non contemnendas perceperunt, qvas ad tempora usqve Reformationis retinuerunt.

§ 9.

De relatione inter accepta expensaqve templorum.

Præter impensas e reditibus templorum in eorundem conservationem, refectionem ac instaurationem, in sacerdotum sustentationem [95]), sacrorum redem-

[95]) Ex indicibus qvorundam templorum, qvæ totum fundum possidebant, ideoqve in beneficia ecclesiastica transierant, apparet, Beneficiariis unum aut duos sacerdotes, vel etiam diaconum sustentandi officium incubuisse. Sic ex. c. index templi *Breiðabólstaðensis* in tractu *Fljótshlið*, certe inter antiqvissima beneficia habendi, tres sacerdotes duosqve diaconos commemorat. Hoc etiam e Collationis formula episcopi Gottskalki Nicolai filii, supra in Nota 80 allata, alibi obtinuisse, patet. De horum sacerdotum et diaconorum an-

tionem, aliaqve ministeria ecclesiastica supra passim commemorata, faciendas, nonnullæ etiam extraordinariæ erogationes templorum patronis injunctæ fuerunt. Tributum, qvod cathedraticum vocant [96]), templis islandicis nunqvam injunctum fuisse, pro certo affirmari potest, namqve ante annum 1220, circa qvem Vilhelmus Cardinalis tales erogationes in Norvegia abrogavit [97]), illud in Islandia obtinuisse, probari neqvit, nec unqvam postea ab episcopis islandicis exactum fuisse commemoratur, si Gottskalk um Gottskalki filium episcopum Holanum exceperis, qvi impensas in peregrinationem, ab ipso 1450 institutam, erogandas, et a dioecesis civibus resarciendas, cathedratici et contributionum nomine appella-

---

nuo salario nil omnino constat, cum vero vicarii parochi sine dubio fuerint, hujus certe arbitrio constitutum fuit. Tantum ex indice templi Oddensis apparet, unum ibi sacerdotem pro missis in animarum salutem canendis qvatuor marcas, alterum vero decem uncias, accepisse.

[96]) Cathedraticum fuit illa pars oblationum atqve donorum, qvæ in natalitiis templorum episcopo cedebant, cujus hæc origo fuit: Cum templorum inauguratio summe necessaria haberetur, ad hanc solennitatem ingens hominum multitudo confluebat, qvorum nemo sine aliqvo munusculo apparuit (cfr. supra cap. 2, § 7). Hujus pars qvædam episcopo in præmium laboris cedebat. Sed cum in hujus inaugurationis memoriam natalis templi qvotannis celebraretur, episcopi, procedente tempore, earundem oblationum, sub nomine cathedratici, partem sibi vindicabant; cfr. Hist. Eccl. T. 1., p. 234.

[97]) l. c.

vit [98]). Qvamvis autem templorum curatores ab his impensis liberi et immunes essent, aliud tamen onus episcopi ecclesias visitantes, hospitio lautisqve conviviis excipiendi, humeris eorum imposuerunt. Jus eccl. Vetus cap. 14 de isto epularum apparatu non loqvitur, sed jubet modo hospitem episcopi, templum inaugurantis, die, qvo discedat, eqvos illi subministrare, necnon ejus operarios, vicinos illorumqve domesticos, si rogati fuerint, ad idem faciendum obligat; Jus autem Arnæanum cap. 5 præcipit, ut, qvi templum exstructum consecrari curaverit, convivium episcopo dignum, rebus necessariis hunc in finem acqvisitis, paret; cui præcepto ut rite satisfieret, seqventes episcopi adeo severe invigilabant, ut hospitalitatem nimis parce solventes in jus vocarent, et, qvæ initio modo de consecratione templorum valerent, ad omnes suas visitationes extenderent [99]). Veruntamen tributum hoc nomine nunqvam

---

98) Ibid. T. 2, pag. 588.

99) Hoc egregie apparet e sententia illa, qvam parochus Arius Thorbjörni filius, Holanæ cathedræ Officialis, inter episcopum Jonam Vilhelmi et Finnbogum Jonæ filium jus dicere jussus, anno 1430 tulit, qvæ declarat, episcopum, dum visitatum eat, litteras de divorsoriis in synodo scriptas, ad loca, qvæ visitaturus sit, mittere debere, easqve ab una ecclesia ad alteram perferri curare, idqve non serius qvam tempore habitaculа mutandi, ut illi, qvibus excipiendus sit, de eo certiores fiant. Sacerdotis vero aut coloni esse, qvi eum excipere debeat, episcopo illiusqve duodecim comitibus victum decentem et potum subministrare; episcopi vero esse,

collegisse videntur [100]). Utrum hæcce convivia, episcopis ecclesias visitantibus parata (*biskupsgisting* et *biskupsveizla* dicta), in ipsius templi, an ejus patroni sumtus relata fuerint, non liqvet, cum inter utriusqve bona discrimen magnopere fluctuaverit; verisimile autem est, hoc episcopos ex arbitrio in singulis locis constituisse, et pro singulorum hospitalitate in rationibus redituum ecclesiasticorum exigendis versatos esse. Ceterum hæcce convivia cum Reformatione non cessasse, episcoporum vitæ testantur. Decimæ qvoqve Saladinæ, ab Islandis *páva tíund*, sive decimæ papales, vocatæ, id est, decima pars decimarum, aliorumqve redituum templis sol-

coqvum et hominem cibum paraturum suppeditare. Sed ubicunqve episcopo hæc rite non præstentur, tam sacerdotes qvam colonos episcopo ex ejus arbitrio satisfacere debere, et omnes, qvi eum excipiant, clericos et laicos, in sua singulos paræcia, eqvos, qvibus in proximam paræciam vehatur, sub mulcta, in Jure ecclesiastico dictata (ɔ: trium marcarum), pro singulorum viribus imperare et postulare teneri.

[100]) In Norvegia tributum, qvod Xenium, sive Hospitalitatem episcopi, vocabant, obtinuisse videtur; id vero Vilhelmus Cardinalis abrogavit. Hoc tributum inde ortum est, qvod episcopi, hospitio gratuito non contenti, pecuniam, sive dona, exigebant, tandemqve, sive visitarent, sive non, tributum istud, sub nomine hospitalitatis, postulabant, qvod Cardinalis laudatus divinis humanisqve legibus repugnare asseruit, nilqve iis, nisi visitarent, competere dixit, nisi aut ægrotarent, aut jussu regis vel archiepiscopi iter ad eos susciperent; cfr. Hist. Eccl. T. 1, pag. 234.

vendorum, si non qvotannis, sæpe tamen conqvisitæ fuerunt [101]).

Cap. 4.

DE LITE PRÆBENDARIA INTER PRIVATOS TEMPLORUM PATRONOS ET CLERUM.

§ 1.

Qvatenus origo templorum islandicorum cum idea catholica conspiret.

Muneris episcopalis in ecclesia catholica tanta vis et auctoritas est, ut in hoc uno omnes alii ordines sacri omniaqve ad munus eorum spectantia contineri et ex eo cev radice progerminare existimanda sint; unde sacerdotum vocatio et ecclesiæ bonorum administratio ad episcopos solos pertineant, necesse est. Ecclesia igitur catholica, qvæ lucem divinam, qva ipsa collustratur, per ordines ecclesiasticos, cev organa sua, vel radios, in salutem generis humani qvoqvoversus diffundit, non nisi objectivam muneris sacerdotalis, templorum omniumqve sacrarum rerum notionem admittit. Hinc non mirum est, peculiarem templorum in Islandia originem, ab hominibus privatis tantummodo provocatam, sacraqve horum auspiciis administrata, diuturnam inter episcopos atqve laicos litem excitasse, cum horum juri personali dominioqve, ecclesiæ repugnanti, nullus locus relinqveretur, sed utrumqve ecclesiæ auctori-

[101]) Ibid. p. 572—74.

tati subjiciendum esset. Cum hujus controversiæ historia in *Árna biskups saga* et F. Johannæi Historia Islandiæ ecclesiastica satis copiose tractata sit, eam per singula eundo narrare nostri non est instituti, sed ea modo capita perstringere, qvæ notioni juris patronatus in Islandia constituendæ potissimum inservire videantur, simulqve ostendant, qvomodo ecclesiæ catholicæ subjectivam hujus notionis partem absorbere et ad principia sua accommodare contigerit.

§ 2.

De primis episcoporum conatibus, jus patronatus, privatis competens, invadendi.

Templa, ut jam sæpius monuimus, omnia primitus a privatis condita, cum bonis atqve reditibus, arbitrio patronorum ea conditione relicta sunt, ut officio suo satisfacerent, et, aut ipsi loci sacerdotes essent, aut pastorem ad sacra obeunda conducerent, aut deniqve juvenes ad hoc ipsum formandos educarent, et ut ipsa templa sarta tecta servarent, nec qvicqvam illis adimi paterentur; qvæ consvetudo circa 179 annos intacta viguit. Verum anno 1178 episcopus Schalholtensis Thorlacus Thorhalli filius, ab Eysteino Erlendi filio, archiepiscopo Nidarosiensi, viro e nobilissimis Norvegorum et Islandorum prosapiis oriundo [102]), variisqve corporis et animi doti-

[102]) cfr. *Landnáma* P. 2, cap. 11. Ofvífus in matrimonio habuit Thordísam filiam Thjodolphi de Höfna; eorum

bus insigni, sed avaro et ambitioso, sacris initiatus est. Hujus nutu et instinctu Thorlacus qvædam in Vetere Islandorum jure ecclesiastico mutare tentavit, primusqve episcoporum Islandiæ, anno episcopatus secundo, sive 1179, laicos templorum patrocinio, præbendarum dispensatione ac omni earum usufructu privare aggressus est, cumqve dicto anno qvadrantem orientalem visitando obiret, templum, qvod Sigurdus Ormi filius in prædio suo *Svínafell* exsruxerat, consecrare recusavit, nisi prædium cum omnibus ad id pertinentibus pleno patronatus jure sibi suisqve successoribus concederetur, idqve tandem persvadendo et minitando evincere potuit, ut non solum Sigurdus juri patronatus renuntiaret, sed complures etiam in orientali Islandiæ qvadrante templorum patroni ejus exemplum seqverentur. Sed cum episcopus deinde audiret, Eysteinum archiepiscopum insolentia sua regem Sverrerum sibi infestum reddidisse et in Angliam discessisse, ab incepto destitisse videtur [103]). Eodem qvoqve tempore, qvo

liberi erant Ospacus pater Ulfi Stallarii (aulæ mareschalli), patris Jonæ de Reirvöllo, patris Erlendi Hunaldi, patris Eysteini archiepiscopi etc.

[103]) Hic Eysteinus (sive Augustinus) anno 1161 cathedram ascendit, et mox subditis, ut argenteam sibi unciam penderent, persvasit, qvod ei comes Erlingus *skakki*, qvi per fas et nefas filio suo Magno regnum Norvegiæ vindicare studuit, ea lege concessit, ut coronam Magno imponeret, eumqve legitimum regem solenniter proclamaret, qvod etiam Bergæ anno 1163 lubenter fecit. Sed Sverrero in thronum

cum Sigurdo nuper dicto litem habuit, in meridionali Islandiæ qvadrante Jonas Lopti filius habitans vir suæ ætatis eruditione et divitiis in Islandia clarissimus [104]), episcopo templum Hofdabrekkense, qvod ille tempestate dejectum sumtuose exstruxerat [105]), nisi conditionibus supra allatis, consecrare abnuenti fortiter adeo restitit, ut episcopus, plurimis Jonæ vestigia legentibus, cedere cogeretur. Nec modo vi et imperio, sed argumentis qvoqve ab utraqve parte pugnatum est; episcopus enim contendebat, a legi-

elevato, archiepiscopus in Angliam aliqvantisper discessit; tandem vero cathedræ restitutus anno 1188 mortuus est; cfr. Hist. Eccl. T. 1, pag. 224—25, et Werlauff, Anecdoton Hist. Sverreri regis Norv. spectans (ed. Havn. 1815) pag. VIII—XXII.

[104]) Hic Jonas fuit Magni cognomine *berfætta* (Nudipedis) Norvegiæ regis ex filia, sed Sæmundi Polyhistoris ex filio nepos, et a scriptoribus coævis, ut doctus, sapiens, locuples, liberalis magnaqve in litibus civium componendis auctoritate gaudens, prædicatur; cfr. Hist. Eccl. T. 1, pag. 201. Ille diaconum simul ecclesiæ regionisqve prætorem egit, et haud pauca templa exstruxit, qvæ splendide ornavit.

[105]) Prædium *Höfðabrekka* templumqve ibi situm possedit, ad qvod duo sacerdotes totidemqve diaconi constituti fuerunt. Hic fundus ob fertilitatem inter optimos numerabatur, donec vicini fluvii inundationibus, unacum nonnullis finitimis prædiis adeo pessundaretur, ut, horum qvibusdam desolatis, multo deinde minus lucri domino adferret. Qvare Jonas non solum jus patronatus remittere recusavit, verum etiam negavit, se in posterum plures qvam unum sacerdotem unumqve diaconum sustentaturum esse; cfr. præpositi J. Halthori filii *Biskupa annálar*.

bus divinis et constitutionibus apostolicis, omnium Dei bonorum (sic autem bona ecclesiastica nominavit), sibi, non laicis, dominium esse concessum, et a pontificibus romanis, apostolorum successoribus, ita præscriptum in eo Jure ecclesiastico, cui universus orbis christianus obediret, ejusqve auctoritatem in Norvegia receptam Eysteinum archiepiscopum secutum, sibi, ut eadem in Islandia faceret, severe præcepisse; laicos autem, si hac in re contumaciter episcopis resisterent, gratia divina dejectos, e sacro cætu excludendos esse; qvare illis recipiscendum juriqve patronatus renuntiandum; ad qvod faciendum laici his argumentis impelli neqviverunt. Et cum episcopus Jonæ Lopti filio archiepiscopi litteras mandataqve se exhibiturum declararet, negavit ille, se dicto fore audientem, cum archiepiscopus hæc majorum instituta in melius mutare nec vellet, nec posset; contendit etiam, dominium esse jus naturale, qvod in templa omniaqve bona illis assignata majores sibi reservassent, qvodqve legibus sancitum et a superioribus episcopis semper agnitum concessumqve fuisset [106]). Simili modo episcopus

---

[106]) cfr. *Saga af hinum heilaga Þorláki biskupi* Mss. (ɔ: Historiam Sti Thorlaci episcopi) cap. 19. *Um morguninn bjóz biskup til kirkjuvigslu, en Jón ok þeir menn, sem i ráði váru með hánum, gengu til hans ok var talat um eptir siðvana. hverr kirkju máldagi skyldi vera. Biskup spurði svásem fylgjari rettinda, hvárt Jón hefði heyrt erkibiskups boðskap um kirkju eignir.*

Brandus Sæmundi filius in dioecesi Holana præbendarum jura, ejusdem archiepiscopi jussu adductus,

---

Jón svarar, heyra má ek erkibiskups boðskap vera lesinn, en ráðinn er ek at hafa hann at öngvu, ok eigi hygg ek at hann viti betr enn minir foreldrar, Sæmundr hinn fróði ok synir hans; man ek ok eigi fyrirdæma framferð biskupa várra her í landi, er sæmdu þann landsins sið, at leikmenn reði þeim kirkjum, sem þeirra foreldrar gáfu Guði, ok skildu ser vald yfir ok sínu afkvæmi. Biskup svarar slikum skynsemdum sem fyrr váru lesnar ok mörgum öðrum.... Jón svarar, þer megit kalla þann bannsettan, sem þer vilit, en eigi man ek játa í yðart vald minni kirkju. En þeir, sem letuz vera beggja vinir, báðu biskup láta af sínu máli. Þorlákr biskup fann, at alþýðan fylgdi Jóni um kirkjumálin, vægði hann því at sinni, at hann sá öngvan ávöxt á vera, þótt hann heldi fram, en mikinn skaða á marga vega, ok ætlaði síðan með erkibiskups fulltingi, at kirkjan mundi fá sin rettindi. En þaðan sem hann vonaði huggun at fá, komu hörmungar tiðindi, því at litlu síðar var Eysteinn erkibiskup landflæmdr fyrir kirknamál etc. Mane episcopus se ad templum consecrandum accinxit; tum Jonas et ejus asseclæ episcopum adierunt, deqve patrocinio templi, cuinam competeret, solitum sermonem instituerunt. Episcopus, justi et æqvi amans, Jonam interrogavit, utrum mandata archipræsulis de templorum bonis cognosceret; cui Jonas, mandatum, inqvit, archiepiscopi recitari lubenter audio, sed tamen illud flocci pendere statui, cum persvasum habeam, nec ingenium ejus, nec voluntatem præstare majorum meorum, Sæmundi dico Polyhistoris ejusqve filiorum; nec episcoporum terræ nostræ agendi rationem condemnabo, qvi eam hujus terræ consvetudinem in honore habuerunt, qvod laici in ea templa patro-

a laicis auferre conatus est, etsi non pari severitate opus aggrederetur; qvantum enim constat, nonnisi semel hujus rei efficiendæ periculum fecit, qvando cum hominibus qvibusdam, Arnthrudæ filiis communiter vocatis, de prædio Vallis, in tractu *Svarfaðardal* sito, controversiam habuit, qvæ intercedente Gudmundo, cognomine *dyre*, ea conditione sopita fuit, ut illi, dum episcopus in vivis esset, Vallis cederent, sed, eo defuncto, hujus præbendæ recuperandæ potestatem haberent [107]). Qvum hæc episcoporum conamina irrita cecidissent, jura laicorum, ad dominium templorum spectantia, aliqvam-

---

natus jure gauderent, qvæ majores illorum Deo dederunt, qvorumqve dominium sibi suisqve nepotibus reservarunt. Ad qvæ episcopus argumentis supra allatis aliisqve multis respondit. Tum Jonas, qvemcunqve, inqvit, volueris, excommunicatum declares, per me eqvidem licet; veruntamen patrocinium templi mei in manus tuas non tradam. Qvi vero utriusqve amici videri voluerunt, episcopum rogarunt, ut a proposito desisteret. Thorlacus episcopus populum in his causis ecclesiasticis partes Jonæ tenere intelligens, hac vice ideo cessit, qvod ex pertinacia sua nullum emolumentum, sed multifarium damnum redundaturum prævidit, sed speravit fore, ut auxilio archipræsulis ecclesiæ deinceps jus suum vindicaretur. Verum, unde solamen exspectavit, nuntius tristis allatus est, nam paullo post Eysteinus archiepiscopus ob lites ecclesiasticas e patria expulsus est. De hoc episcopo cfr. Hist. eccl. T. I, pag. 287—97 et Anecd. Werlaufiii, pag. XXIII—XXXII.

[107]) De hoc episcopo cfr. Hist. eccl. T. I, pag. 225, 327, 330 sqq. et 597.

diu integra intactaqve permanserunt. Seqventes enim episcopi Paulus Jonæ et Magnus Gissuri, etsi Thorlacum Thorhalli filium in administratione officii imitarentur, controversias tamen de præbendis suas non fecerunt; episcopiqve peregrini, Sigurdus Thettmari filius Schalholti, Botolphus et Henricus Caroli vel Kari filius Holis, qvi deinde auspiciis Haconi regis cathedras ascenderunt, aliis rebus occupati tenebantur, qvippe qvi in eo toti essent, ut Islandos Hacono Norvegiæ regi ejusqve legitimis successoribus tributarios redderent.

§ 3.

De hierarchiæ incrementis.

Circa annum 1264 forma reipublicæ islandicæ in statum monarchicum transiit, cum incolæ se moderamini regum Norvegiæ certis conditionibus subjicerent, qvarum prima et præcipua fuit, ut rex Islandis jus patrium sartum tectum servaret; qva deditione, cum codex legum, vulgo *Grágás*, et Jus ecclesiasticum Thorlaco-Ketillianum in Islandia adhuc vigerent, jura privatorum templorum patronorum etsi inviolata manerent, fieri tamen non potuit, qvin, officio sacerdotali a civilibus muneribus jam separato, summo imperio politico ad aliud regnum transmigrante, crescenteqve indies episcoporum et cleri auctoritate, paullatim subverti inciperent, cui rei efficiendæ archiepiscopi Eysteinus et Jonas in Norvegia, homines valde imperiosi, episcopi Thor-

lacus et Arnas in Islandia, cunctis viribus incubuerunt, eoqve cum successu ab anno 1123 ad annum 1275 pro potentia episcopali certatum est, tantaqve hoc temporis intervallo incrementa cepit, ut non modo specialem sibi jurisdictionem compararent, sed plurimis qvoqve, et in his omnibus omnium templorum atqve sacerdotum causis et litibus sese immiscerent, qvod historiæ testimoniis cum legum præceptis collatis efficitur [108]). Episcopus Thorlacus,

[108]) Ad hanc rem probandam adferre juvat Jur. eccl. Arn. Append. Cap. 2, e Transactione Tunsbergensi conflatum, *um kirkjumál*, sive de causis ecclesiasticis: "Jam debent clerici omnes judicari et peti coram domino episcopo, vel eo, cui cognitionem causarum ecclesiasticarum demandaverit, sed laici in omnibus causis coram domino rege postulentur, sev coram eo, qvem judicem constituerit. Excipiuntur tamen causæ jam recensendæ, aliæqve similes juri ecclesiastico propriæ; qvales sunt: causæ rapinæ, peculatus templi, violentiæ templis, viris doctis atqve bonis ecclesiasticis illatæ, decimationis, votorum omnium, imprimis testamentorum, templis aliisqve sacris locis itemqve pauperibus factorum, libertatis ecclesiasticæ, sive interius, sive exterius, circa homines et bona. Patrocinium eorum, qvi ad Sanctum Thorlacum, ejus limina, aliaqve sacra cum suis reliqviis loca, religiosa itinera susceperint. Matrimonium omnesqve aliæ causæ et actiones eo pertinentes, necnon de legitimis aliorum natalibus decidendæ. Stuprum fœminæ illatum, cognationis violatio, adulteria et concubitus, perjuria et usuræ, qvando qvis res inanimatas in foenore collocaverit; hæresis qvæcunqve et superstitio, ubi res spirituales emtæ venditæqve fuerint. Has causas aliasqve in jure ecclesiastico præscriptas actor atqve defensor cum testibus suis atqve probationi-

qvi primus hujus rei tentamen fecit, in tempora proposito suo tam parum opportuna incidit, ut ab incepto desistere cogeretur; veruntamen ad dilatandam auctoritatem episcopalem successoribus viam egregie muniit, nominatim Arnæ Thorlaci filio, qvi anno 1269 episcopus Schalholtensis evasit, et cum ingenii acumine animiqve præsentia, pertinaciam ac dominandi cupidinem conjunxit, qvam inundans jam per totum septentrionem imperium romanum fovit atqve nutriit. Daniæ qvippe regi Christophoro 1[mo] cum regno suo sacris interdictum fuit, ejusqve filius Ericus Glippingus cum archiepiscopo Jacobo Erlandi filio simultates exercuit; Johannis *Sine terra* anathematis fulmine perculsi regnum Philippo Galliæ regi oblatum fuerat; Fridericus 2[dus] imperator Germaniæ vix ac ne vix qvidem contra pontificem romanum dignitatem suam defendere potuit; rex Norvegiæ Haconus brevi postqvam ipsi juramentum fidelitatis Islandi dixerant, diem supremum obiit, eiqve filius Magnus, vulgo *lagabœtir*, in imperio successit, vir sedati et mansveti ingenii. Anno 1268 Jonas, cognomine Rufus, archiepiscopus Norvegiæ factus est, qvi prædecessorum, præsertim Eysteini et Erici, vestigia legens, imperio suo propagando, cleroqve ac templis per

bus ad episcopi ejusqve procuratoris arbitrium deferant". Ex his apparet, qvam late causas ecclesiasticas patere voluerint, cum nullum fere causarum genus sit, qvod huc trahi neqveat.

fas et nefas ditandis, omnes vires intendit, et regi se qvovis modo opposuit, cujus rei primum in comitiis Frostensibus, deinde in conventu Bergensi anno 1271 et iterum 1273 luculentum documentum edidit.

§ 4.

De controversia episcopi Arnæ Thorlaci filii cum laicis de jure patronatus.

Anno 1269 Arnas Thorlaci filius a dicto archiepiscopo Jona diocesis Schalholtensis episcopus inauguratus fuit, qvi, qvanti fastus et audaciæ fuerit, inde patet, qvod jam antea officialis munere fungens, 27 annos natus et sacris nuper initiatus, Comitem Gissurum ob causam parvi momenti pluresqve alios nobiles viros excommunicare sustinuerat[109]). Mox ut cathedram ascendit, clericorum et laicorum conventum habuit, ubi, inter alias archiepiscopi constitutiones, mandatum de templis omnibus eorumqve latifundiis episcopo tradendis promulgavit[110]), eodemqve anno per qvartam australem visitationem ecclesiarum instituens, minora et pauperiora pleraqve templa, deindeqve anno seqvente majora qvædam, minis et excommunicationibus sub suam potestatem redegit[111]). Verum privati tem-

[109]) cfr. *Saga Árna biskups Þorláksonar* cap. 4 et Hist. Eccl. T. 2. pag. 2—3.

[110]) *Árna bisk. s.* cap. 5.

[111]) Ibidem cap. 5 et 6, et Hist. Eccl. T. 2. p. 6 sqq.

plorum patroni his non contenti, ad regem et archiepiscopum provocarunt, qvorum uterqve anno 1273 3 cal. Julii, qvæstionibus de præbendis litigantium audiendis, compluresqve alii proceres, Bergis convenerunt; ubi archiepiscopus pro tribunali sedens, lites præbéndarias dijudicaturus, regi sententiæ dicendæ jus negavit, nec nisi assessoris locum ei concedere voluit; qvam conditionem rex respuens, ex suis Audunum *hestakorn* et Haconum Thoreri archiepiscopi filium, illum juris civilis, hunc ecclesiastici, peritissimos elegit, qvi in id omne studium conferrent, ut laici jura legitima inviolata retinerent, qvi vero, ut eventus docuit, nil efficere valuerunt. Aderant etiam inter alios Islandos Sighvatus Halfdani et Einarus Thorvaldi, templi Oddensis ac Vatnsfiördensis patroni, suam suorumqve causam dicturi, actoris partes sustinente Arna episcopo, qvi contendit, legibus repugnare divinis, patronatum templorum eorumqve bonorum dispensationem ad laicos devolvi; ad qvæ responderunt, prædia, de qvibus disceptaretur, a majoribus suis templis ea conditione esse attributa, ut eorum posteri in ipsum templum illiusqve bona patronatus jure semper gauderent, et usum fructum tenerent, si modo templa eorumqve bona sarta tecta servarent iisqve sacerdotes ministrarent. Unde apparet, jam eadem omnino argumenta ab utraqve parte usurpata fuisse, qvæ Thorlacus episcopus et Jonas Lopti filius de hac re disceptantes adhibuerant (supra § 2). Neqve

Arnas episcopus ea, qvæ laici declarassent, vera esse negavit, sed legibus divinis, ɔ: juri canonico, contraria esse contendit; cui qvoqve fundamento archiepiscopus sententiam suam superstruxit, in argumentatione huic præmissa inde profectus, qvod templa, mox ubi condita fuerint, in ecclesiæ possessionem transierint, contra qvam juri personali nullus locus relinqvatur[112]). Eum res exitum habuit, ut archipræsul Arnæ episcopo ejusqve succes-

[112]) ɔ: *Nú af þvi at heilög kirkjulög vàtta, at liótligr kaupmàli ok at rettindum ònáttúrligr á ekki at fullkomna bòndans rèttu, ok þat sem í fyrstu er einkisvert, þá má þat siðan eigi fyrir nokkuru standa þà stundir liða; ok varðveizlu þessara staða mætti einginn biskup undan sínum eptirkomendum gefa, ok einginn leikmaðr mætti heldr eignaz, ok mega þar skilmàla til leggja. Einginn mà kirkiu kaupa ne selja við verði utan mikils sálar háska, ok því fær sà eigi rettiliga haldit, er svá kemz at* etc. ɔ: Cum sanctæ ecclesiæ leges testentur, conditionem turpem et juri repugnantem jus possessoris non efficere, et, qvod primo nihili est, decursu qvoqve temporis nec valere posse, et nulli episcopo administrationem harum præbendarum in successorum damnum abalienandi jus competere, nec ulli laico illas possidere, aut conditionem addere licitum fuisse; nemini enim sine ingenti animæ periculo templum pretio emere vel vendere, licere, nec tali modo acqvisita legitime retineri etc. cfr. Hist. Eccl. T. 2, p. 42—43 et *Árna bisk. s.* cap. 11. Notandum tamen est, utramqve et in his et in ipsa archiepiscopi sententia recensenda, qvod verborum et sententiarum dispositionem attineat, aliqvantum inter se differre, etsi sensus eodem redeat.

soribus horum templorum patronatus jus et plenum dominium adjudicaret, laicis autem omnem eorum dispensationem interdiceret [113]). Qvamvis in hac lite præbendaria Arnas episcopus superior discessisset, mandatumqve archiepiscopi de templis eorumqve latifundiis ipsi tradendis publicasset, necessa-

[113]) Ipsa sententia talis est: *Nú afþví at þetta mál er til vors dóms komit, þá giörum vèr þenna órskurð á í nafni Föður, Sonar ok Heilags Anda, at vald ok skipan, forræði ok varðveizla Oddastaðar ok Ólafs kirkju í Vatnsfirði með öllu því sem þar tilliggr, hvárt þat er tekit eðr ótekit, nytt eðr ónytt, nema þat eitt, er til þarfenda hefr haft verit, ok þó skynsamliga tært verit; þá dæmum vèr Árna biskupi í Skálaholti ok hans lögligum eptirkomendum, honum ok þeim eilifliga at ráða; ok fyrirbjóðum ver Sighvati ok bræðrum hans, ok svá þeirra örfum, Einari ok hans örfum nokkut ákall um þetta mál at veita* etc. ɔ: Cum igitur hæc causa nostro judicio submissa sit, hanc sententiam ferimus in nomine Patris, Filii ac Spiritus Sancti, qvod dominium et dispositio, administratio et curatela præbendæ Oddensis et templi Olafi in Vatnsfiördo, cum omnibus ad id pertinentibus, sive accepta fuerint, sive non, sive usurpata, sive non usurpata, iis modo exceptis, qvæ in usus templi idqve prudenter erogata sunt, Arnæ episcopo Schalholtensi ejusqve legitimis successoribus, tam illi, qvam his in perpetuam dispositionem adjudicamus, sed Sighvato, ejus fratribus et illorum hæredibus, et Einaro ejusqve hæredibus omnem hac de causa postulationem prohibemus.

Hist. Eccl. T. 2, p. 42—43 habet *nýtt — ónýtt* ot hæc vocabula significare vult, utilia — inutilia; sed perperam; hic enim respondent usurpata — non usurpata, et sunt = neytt — óneytt, qvæ qvoqve in *Árna bisk s.* cap. 11 reperiuntur.

rium tamen esse duxit, dominium cleri islandici firmiore fundamento superstruere. Itaqve instinctu ac mandato archiepiscopi, novum jus ecclesiasticum anno 1274 conscribi curavit, qvo episcopis plenam omnium templorum omniumqve causarum, qvas jus canonicum ad forum ecclesiasticum traduxerat, potestatem conciliare studuit, ordinem sacerdotalem civili juri et obseqvio penitus subducere, laicis omnia mobilia et immobilia bona templis adscripta adimere, eosqve minis, poenis, atqve excommunicationibus sub jugum mittere. Hoc jus ecclesiasticum anno inseqvente in comitiis universalibus rogavit, effecitqve, ut pleraqve illius capita perferrentur; qvædam vero libertati juriqve laicorum noxia populus approbare recusavit[114]), eaqve regis et archiepiscopi arbitrio commissa sunt. Rex de re gesta certior factus omnia primum abrogavit, monens, ne jus ecclesiasticum, nec ullæ aliæ constitutiones, se inconsulto in leges ferrentur; sed archiepiscopus, potestatem leges ecclesiasticas ferendi sibi suisqve successoribus propriam, notissima illa sanctione pragmatica Tunsbergensi 1277 nactus[115]), totum

[114]) cfr. Hist. Eccl. T. I, p. 540. Hæc fuere: cap. 4. De potestate episcoporum in templa eorumqve possessiones; cap. 13 De eleemosynis, sivo cibariis in usus pauperum erogandis; cap. 33. De foenore, et cap. 38 De excommunicationibus, qvæ ipso facto contrahuntur. Sed ex edit. Thork. fuere cap. 4, 13. 35, et App. cap. 6.

[115]) Vide hanc Transactionem in Hist. Ecc. T. I, pag. 386 sqq.

hocce jus confirmavit, annoqve 1280, novis populi suffragiis, de omnibus illius capitibus penitus transactum fuit, præter caput qvartum de jure patronatus et episcoporum potestate in templa eorumqve possessiones, de qvibus ita loqvitur: *Biskup várr skal kirkjum ráða ok svá öllum eignum þeirra, ok öllum kristnum dómi, svá ok tíundum ok tilgjöfum þeim, sem menn gefa Guði ok hans helgum mönnum lögliga ser til sáluhiálpar, því at ekki vald megu leikmenn yfir slikum lutum eiga utan biskupa skipan. Presta ok lærða menn skal biskup til kirkna skipa svá sem máldagar standa til.* ɔ: "In potestate episcopi nostri sint templa omniaqve illorum bona et omnes res sacræ, decimæ et expensiones, qvæ in Deum et Sanctos ejus ad propriam salutem juste conferuntur, nulla enim de talibus rebus absqve permissu episcopi disponendi facultas laicis competit. Sacerdotes et clericos episcopus templis secundum libros eorum daticos præficiat". Hocce caput instar eridos pomi acerbæ inter episcopos et laicos litis causa exstitit, qvæ diu varia fortuna agitata fuit; interdum enim episcopi patronos a prædiis suis abigere templaqve minis et excommunicationibus occupare potuerunt, laici vero qvandoqve a regibus adjuti, rescriptisqve sibi faventibus muniti, amissa patronatus jura reposcentes templa repetierunt, iisqve ab episcopis præfectos sacerdotes inde expulerunt; horum vero præcipuum fulcrum fuit rex Ericus Magni filius, qvi non tan-

tum privilegia qvædam clero a majoribus concessa revocare, sed etiam patris et archiepiscopi pactionem Tunsbergensem annihilare aggressus est (cfr. infra § 5). Hujus imperium Jonas archipræsul timens, pluribus episcopis stipatus, in Gothiam exulatum ivit, qvæ coryphæi jactura contumaciam Arnæ episcopi ita vix frangere potuit, ut præfecto Rafno Oddi filio, qvi mandatis regiis instructus, laicorum causam summo studio promovit, aliqvantum cederet[116]. Arnas deinde novum qvidem patronum nactus est Jörundum archiepiscopum, qvi electus tantum, sed nondum confirmatus, episcopos Islandiæ per litteras hortatus est, ut litem de præbendis acriter perseqverentur, qvas laicis, qvocunqve tandem nomine illas tenerent, extorqverent. Sed exorto inter hunc et Canonicos Nidarosienses dissidio, animum despondens, episcopo Arnæ, in Norvegia tum degenti, auctor fuit, ut cum rege Erico reconciliari studeret, qvod etiam factum est Augvaldsnesi anno 1297, qvo tandem præbendarum controversia, si non sepulta, aliqvatenus sopita fuit (cfr. supra cap. 3, § 2)[117].

[116]) Prolixam hujus controversiæ historiam vide in Hist. Eccl. T. 2, pag. 21 sqq., sed imprimis in *Árna bisk s.* capp. 37, 40—42, 44—46, 53—56, 58—60 etc.

[117]) Hanc Transactionem animis reconciliandis et controversiæ præbendariæ penitus sepiliendæ imparem fuisse, uno tantum, sed insigni, probatum dabimus exemplo: Vatnsfiördus, initio fuit fundus jure reluitionis gaudens, cujus possessor Thordus Thorvaldi filius primus ibi templum

§ 5.

De rescriptis Norvegiæ regum Jus ecclesiasticum Arnæanum et litem præbendariam spectantibus.

Cum lis præbendaria ab auctoritate Juris ecclesiastici Arnæani penderet, disceptationem de hujus receptione identidem movit, conatusqve rescripta

---

exstruxit, qvod cum ipso prædio ejus ex filio nepotibus Einaro et Sighvato judicium Jonæ archiepiscopi ademit. Sed deinde anno 1283, qvo rex Ericus laicos templa sua recuperare jussit, Einarus Thorvaldi, præfecti Ravni Oddi filii auxilio adjutus, Vatnsfiördum in suam potestatem redegit. Anno 1289 imperium clericorum multa rursus templa arripuit, sed, cum abbas Runolphus, absentis episcopi Arnæ officio fungens, occidentalem qvartam visitando non freqventaret, Vatnsfiördus hac vice reliqvorum sortem evitavit; qvamvis autem 1297 in earum villarum numero esset, qvæ e transactione Augvaldsnesi facta, laicis cesserunt, nihilo tamen secius e sententia, in foro generali anno 1530 lata, apparet, anno 1308 templum Vatnsfiördense cathedræ Schalholtensi adjudicatum fuisse; qvomodo autem hoc factum sit, memoriæ nusqvam proditum reperitur. Nec diuturna fuit hæc ejus conditio, e veteribus enim annalibus constat, Ericum Sveinbjörni filium cum uxore Vilborga, Einari illius filia, cui Vatnsfiördum archiepiscopus Jonas anno 1273 abjudicaverat, hoc prædium dotis loco accepisse, deindeqve ad ejus filium Einarum hæreditatis nomine delatum est, qvod ab episcopis ejus temporis sancitum est et approbatum (cfr. Hist. Eccl. T. 2, p. 116—26). Hujus filius Björnus prædio isto, partim hæreditate, partim mercede, potitus est, ibiqve habitavit, eo autem adhuc vivo, anno 1393 de hoc prædio sententia Jonæ archiepiscopi ab archipræsule Vinaldo confirmata fuit, qvod laici nihilo secius suum esse contende-

regia hanc rem decidentia eliciendi in contrarium nitentes sæpius provocavit. Regem Magnum Haconi filium post transactionem Tunsbergensem ad abrogandum Jus ecclesiasticum Arnæanum nihil fecisse, historici uno ore testantur. Ejus autem filius Ericus, vulgo *prestahatari* (cleri osor v. Misocleros) cleri imperiosæ dominationis impatiens, magnam cum episcopis Islandiæ, Arna Thorlaci Schalholtensi et Jörundo Thorsteini Holano, de jure canonico et præbendis controversias habuit; constitutione enim 1283 jussit, de jure patronatus et decimis eodem

bant, adeo ut in judicio herciscundæ familiæ Björni Thorleifii, filio ejus Thorleifo, ut paterna hæreditas cederet. Sed cum discordia de hoc prædio inter Björnum Godvini et Björnum Thorleifi exoriretur, Stephanus Jonæ filius episcopus Schalholtensis, archiepiscoporum auctoritati innixus anno 1506 illud denno clero vindicavit, suamqve sententiam a Gautone archiepiscopo confirmari curavit. Björnus autem Godvini, qvi tunc Vatnsfiördum tenuit, huic qvidem sententiæ 1508 subscripsit, Stephanoqve jure jurando pollicitus est, se Vatnsfiördum omniaqve illius bona ei traditurum, sed promissis adeo non stetit, ut sexennio post per cognatum suum nomophylacem Jonam Sigismundi, conventu qvodam Vatnsfiördi coacto, duodecimvirale sibi favens decretum fieri curaret eodemqve anno illud a rege Christiano 2do confirmatum impetraret. Attamen episcopus Stephanus anno 1517 Vatnsfiördum recuperavit, ibiqve sacerdotem Jonam qvendam Erici constituit. Tandem anno 1520, latas de Vatnsfiördo ab archiepiscopis sententias, Ericus Valchendorphius archipræsul confirmavit; ex qvo omnia hujus prædii recuperandi facta a laicis conamina irrita ceciderunt. Cfr. Hist. Eccl. T. 2, p. 259—60, 312, 350 sqq. 493.

modo haberi, qvo fuissent tempore Haconi regis et Sigurdi archiepiscopi; alteraqve eodem anno, aut, ut qvibusdam placet, 1291, similis argumenti, suo fratrisqve Haconi, Ducis honore præditi et in consortium regni post mortem patris adsciti, nomine edita, declaravit, se cum archiepiscopo Jörundo aliisqve regni episcopis contraxisse, ut secundum jus ecclesiasticum vetus res ecclesiasticæ deciderentur, et in eum statum revocarentur, qvi ante transactionem Tunsbergensem obtinuisset[117]), annoqve 1295 rescripto mandavit, ut omne jus canonicum et causæ inde dependentes juxta antiqvam consvetudinem procederent et ex præscripto legum agerentur, non vero per excommunicationem ecclesiasticam, aut interdictum a sacris, cum nomophylacum esset officium, tam de causis juris ecclesiastici, qvam ceteris sententiam ferre[118]). Tandem anno 1297 cum episcopo Arna de præbendis intra dioecesin Schalholtensem sitis ita pactus est, ut prædia, qvæ ex asse ad templa pertinerent, sub episcopi potestate postea manerent, qvæ autem laici dimidia vel ultra possiderent, ea ipsi in posterum, conditionibus de pensionibus sacris personis tribuendis, a primo conditore adjectis, ne in minimo qvidem mutatis, retinerent (cfr. supra cap. 3, § 2) [119]). Hujus frater Haconus, cognomine *háleggr*, edicto,

[117]) Ibid. T. I, p. 412—413.
[118]) l. c. p. 413—414.
[119]) Ibid. p. 411—412.

qvod ita in cipit: *þenna hátt hæfir syslumönnum vorum oc lögmönnum at hafa* etc. (cfr. supra nota 35 et cap. 2, § 7) varia in Jure ecclesiastico Arnæano improbavit[120]), alioqve 1316 dato, vetus jus ecclesiasticum confirmavit[121]). Ejus nepos et successor Magnus Erici filius, *smekk* dictus, primum Islandis edictum dedit 1320, qvo injunxit episcopo Holano qvotannis dioecesin suam visitare, prohibet autem decimas aliosqve reditus sacellorum ab iisdem auferri[122]) (supra cap. 1, § 4), secundum 1355, qvo jubetur jus illud ecclesiasticum (Arnæanum scilicet), qvod in australi Islandiæ parte observaretur, per totam terram valere[123]).

§ 6.

Recensus variarum de auctoritate Juris ecclesiastici Arnæani sententiarum.

Qvemadmodum ante transactionem Augvaldsnesensem lis præbendaria qvæstiones de Juris ecclesiastici Arnæani valore identidem moverat, rescriptaqve regia ad hanc rem decidendam provocaverat, sic etiam deinde, certe ad annum 1355, qvo edictum, in § præcedente commemoratum, Jus istud per totam Islandiam valere jussit, haud raro factum est. Cum enim Jus eccl. Vetus atqve Novum diver-

[120]) Ibid. p. 419–422.
[121]) Ibid. p. 422.
[122]) Ibid. p. 429—430.
[123]) Ibid. p. 436—437.

sam omnino inter episcopos atqve populum, nominatim qvod jura patronatus attinet, relationem sisteret, sed dicta Transactio neqve hanc relationem accurate definiret, nec Holanæ dioecesis cives complecteretur, episcopi, ad omnia templa sub suam potestatem redigenda, tela, ex Arnæano Jure petita, in patronos templorum privatorum contorqvere non destiterunt, qvæ evitaturi se in tutelam Juris ecclesiastici Veteris laici receperunt; qvamdiu igitur ab invadendo illi, a renitendo hi non cessarunt, ea simul qvæstio agitata fuit, utri potius Juri ecclesiastico vis legis tribuenda esset. Cum argumenta, qvæ ab utriusqve Juris istius vindicibus[124]) adhibita fuerunt, historiæ litis præbendariæ haud parum lucis affundant, simulqve ostendant, qvam fluctuan-

---

[124]) De hujus Juris in Islandia auctoritate seculis 13 et 14 et nuperrime elapso inter doctos Islandos multum fuit disputatum. Paulum præsertim Vidalinum, virum antiqvitatum peritissimum, et Jonam Arnæum episcopum Schalholtensem, qvorom deinde vestigia legerunt episcopus Dr. F. Johannæus et nomophylax Sv. Sölvi (cfr. ejus Tyronem juris, 1754, p. 9—11); hic enim cum episcopo J. Arnæo antiqviori Juri eccl. Thorlaco-Ketilliano vim legis, nullam vero Arnæano auctoritatem tribuit; ceteri contrariam ineuntes viam, Vetere posthabito, huic omnem auctoritatem vindicare studuerunt. Jonas autem Erici in *Holbergs Stat* pag. 514 rem in medio reliqvit. Præterea duas saltem in Collect. Magnæana hac de re dissertationes islandice manu scriptas, qvarum altera auctorem habet præpositum J. Halthori filium, reperi, qvæ tamen rei nil novi lucis affundunt, sed in iisdem argumentis repetendis et explicandis versantur.

tem legis ecclesiasticæ, etiam templa spectantis, notionem imperium episcoporum reddiderit, ea hic paucis attingenda esse putavi. Argumenta contra auctoritatem Juris eccl. Arnæani ex edictis in § præced. commemoratis, præsertim Erici Haconiqve regis, plerumqve repeti solent, in qvibus occurrentes dictionis formulas: *antiqvum jus ecclesiasticum* et *antiqvam consvetudinem*, Juris Thorlaco-Ketilliani vindices ad hoc solummodo trahunt, illudqve Arnæano, sev recentiori, opponi contendunt. Primum qvippe in medium proferunt edictum regis Erici 1283, qvod jubet secundum jus ecclesiasticum vetus res ecclesiasticas decidi et in eum statum revocari, qvi ante transactionem Tunsbergensem obtinuisset, illamqve objectionem, Jus Arnæanum ab Islandis prius fuisse adoptatum, qvam conventio Tunsbergæ inter regem et archiepiscopum iniretur, et in ipsa conventione nullam juris islandici mentionem fieri, eamqve solum jus norvegicum spectare, eo refelli statuunt, qvod adoptio Juris Arnæani in comitiis universalibus 1275 facta, certis conditionibus adstricta, ex ipsa episcoporum et iucolarum sententia, a consensu regis et archiepiscopi penderet, et tum demum rata fieret, cum obstacula, qvæ a parte regis opponerentur, transactione Tunsbergensi removerentur[125]). Ejusdem regis fratrisqve Haconi edic-

---

[125]) Hoc edictum regis Erici mox dissentionum inter episcopum Arnam et laicos causa exstitit, cum verba ejus

tum 1291 Norvegis, non Islandis, datum, frustra objici insuper contendunt, cum neminem subditorum a provida regum cura exclusum esse ipsum declaret, et antiqvum jus ecclesiasticum, Jörundo archiepiscopo aliisqve episcopis in consilium adhibitis, postea observari jubeat, adeoqve hoc edictum Islandiam æqve respicere, cum præterea rex Christianus 2dus anno 1514 omnia regis Haconi edicta confirmaverit eaqve Islandis leges jusserit[126]). Deinde qvoqve alia Haconi regis edicta, data 1305 et 1309, sed imprimis 1316, qvo nomophylacibus injungitur,

utriqve in suam partem traherent; hi enim contenderunt, sic antiqvatum esse novum istud jus ecclesiasticum de jure præbendarum a laicis in clericos transferendo, ab Arna episcopo concinnatum et Tunsbergi 1277 confirmatum; ille vero hoc a se conscriptum jus biennio ante conventum Tunsbergensem ab incolis receptum esse ideoqve non tum primum in leges relatum, sed edictum eas tantum leges annihilare, qvæ ibidem et postea sancitæ fuissent; cfr. Hist. Eccl. T. 1, p. 544. Hoc edictum, si ad originem ejus respicimus, ad abrogandum Jus eccl. Arnæanum datum esse, haud dubium est; flagrante enim de jure patronatus controversia, Jörundus episcopus Holanus anno 1283 regi scripsit, placere sibi omnia de legibus ecclesiasticis et præbendis, si in codem statu manerent, qvæ sub rege Hacono et archiepiscopo Sigurdo fuissent. Cui rex edicto laudato respondit, et propositionem ejus, licet aliis verbis, approbavit; cfr. Ibid. p. 543.

[126]) Adversarii autem hoc Christiani 2di rescriptum in Islandiam nunqvam venisse, sed cum aliis ejus edictis interiisse, legemqve non promulgatam neminem subditorum obligare, contendunt.

jus seqvi ecclesiasticum antiqvitus prævalens, non tamen Magni *lagabætis*, neqve Jonæ archiepiscopi, sed qvod antea obtinuit, suæ sententiæ probandæ adhibent, iisqve omnibus auctoritatem e rescripto Christiani 2di supra nominato conciliant. Addunt deniqve, pro antiqvo jure Thorlaco-Ketilliano facere, qvod anno 1123, cum insulæ summum rei publicæ regimen competeret, sancitum sit, neminemqve nisi reges post ejus submissionem Islandis leges ferendi potestatem habuisse. Qvemadmodum episcopus Dr. F. Johannæus omnes contra auctoritatem Juris eccl. Arnæani ex edictis regiis desumtas objectiones corruere existimat, si formulas dictionis: *forn ok gamall kristinnrettr*, (sive vetus et antiqvum jus ecclesiasticum) in edictis adhibitas, ita interpretemur, ut non semper Jus Thorlaco-Ketilianum significent, nec juri recentiori, sev Arnæano, opponantur, qvod qvandoqve ut jus antiqvum et dudum receptum laudetur, ratione legum ecclesiasticarum recentiorum habita, qvas rex Magnus necnon Jonas archiepiscopus obtruserint, aliarumqve serioris temporis innovationum [127]), sic etiam alii valorem Juris

[127]) Hoc in specie manifestum fieri putat in libello supplici ab Holanæ dioecesis civibus anno 1319 regi transmisso, supra passim nominato, et regis ad eos responso, ubi per recens jus canonicum intelligenda sint, injusta Holanorum episcoporum et nominatim Auduni ac deinceps Ormi placita, qvibus nova incolis onera imposuerunt; cfr. Hist. Eccl. T. I, pag. 545.

Arnæani ex edictis ipsum improbantibus eliciunt, cum constantem illius usum, ad qvem inhibendum data sint, in apricum proferant; contendunt etiam reges Magnum atqve Ericum primum qvidem huic Juri se opposuisse, tandem vero ab incepto destitisse; Magnum qvippe 1277 sibi successoribusqve jus leges ferendi ecclesiasticas talesve causas dijudicandi abdicasse et archiepiscopo juris ecclesiastici condendi potestatem concessisse; Ericum vero cum episcopo Arna 1297 de eo pactum esse; deinde qvoqve regum edicta et rescripta adferunt, qvæ aut totum istud Jus, aut partem ejus confirment; totum confirmasse volunt Magnum Haconi 1277, Ericum 1297, Magnum Erici 1355; sed sensim et capitulatim confirmatum inde patere, qvod anno 1248 Vilhelmus Cardinalis constitutiones, qvæ in Jur. eccl. Arn. cap. 27 et 28 contineantur, dederit, Hacono rege et Sigurdo archiepiscopo, qvas rex Ericus 1283 confirmaverit. Anno 1277 Indridum *böggul* et Nicolaum Oddi filium a rege in Islandiam missos, de festis sacris, jejuniis, ac poenitentiis episcopo statuendi potestatem dedisse, qvo Jus ecclesiasticum inde a cap. 22 ad 33 sancitum sit; caput 9 ipsum testari, se annuente Magno rege concinnatum, cap. 6 et 31 a rege Hacono Magni filio rata haberi jussa; tum ad hujus Juris eccl. fontes redeunt, idqve partim e Vetere illo Thorlaco-Ketilliano, partim e decretis pontificum romanorum aliisqve statutis, vim legis in Islandia tenentibus, conflatum asserunt;

deniqve provocant ad constantem episcoporum usum, qvi ad hujus Juris præscripta sententias ferendas composuerint, sibiqve potestatem de omnibus iis causis, qvæ in cap. 36 (sive append. cap. 2) enumeratæ sint, jus dicendi vindicaverint. His argumentis, hinc illinc in unum coactis, addi qvoqve possunt, qvæ M. Stephensen in comment. de leg. isl. pag. 106 attulit probantia: Juri solummodo Arnæano, vim legis, posterioribus saltem seculis, esse tributam. Sic, ut ipsius auctoris verbis utar, *stóridómr*, s. magna sic dicta sententia, d. 1564, hoc solum allegat Jus, gradus consangvinitatis et affinitatis, concubitum necnon matrimonium prohibentes, recensens (cap. 20), qvos Jus omittit Thorlaco-Ketillianum. Cum vero confirmatio regia, anno 1565 sententiæ *stóradóms* data, etiam antiqvum jus ecclesiasticum ea laudatum memoret, hæc respectu graduum prohibitorum etiam post Reformationem id agnovisse videtur. Patere qvoqve, ait auctor, episcopos Islandiæ Jus tantum Arnæanum respexisse anno 1560, defectum virium sive ingenii excusantes regio satisfaciendi rescripto d. 29 Maii 1559, jubenti eos rogationem Ordinationis cujusdam concinnare, poenam adulterii et incestus in Islandia constituentem, dum laudaverint antiqvum jus ecclesiasticum, plenæ ibidem tunc auctoritatis, statuisse: incestus tantum cum matre, filia et privigna reos, exilii esse damnandos, nisi absolutionem episcopalem nanciscerentur, qvod Jus Arn. cap. 20 præcipit, nulla

ejus rei in Jure Thorlaco-Ketilliano habita mentione. Unde auctoritatem ejus tunc temporis in Islandia satis probari. Porro observandum esse dicit, post Jus Arn, introductum 1275, nec limitati exilii *fiörbaugsgarðr* dicti, qvod Jus Thorlaco-Ketillianum cap. 5 illi intendit, qvi aut abalienaverit aut emerit bona templorum, qvæ unicuiqve vindicare licuit, neglecta tali tutelariorum cura, nec exilii majoris *skógargángr* appellati s. proscriptionis, cev capitali contermini poenæ, receptori pastoris a grege ipsi concrediti profugi, cev proscriptionis rei cap. 8 indicti, ob has causas ullum unqvam fuisse damnatum, neqve mulctæ sex marcarum, juxta cap. 35 hujus Juris, ob retentionem decimarum, sed trium tantum e præceptis Juris Arnæani cap. 15. Edictum insuper Haconi regis d. 1316 Norvegis potius qvam Islandis datum esse putat, eo potissimum adductus, qvod præceptum ejus mulctas omnes jure antiqvo ad trientem usqve diminui, nullam mulctarum juribus islandicis ecclesiasticis definitarum diminutionem fecerit. Deniqve commemorat, plurima Juris Arnæani præcepta permultis recentioribus edictis aut penitus abrogata, aut magnopere mutata esse, sed tamen in qvibusdam causis, recentiore jure sive non definitis, sive Islandiæ saltem inconvenienter, vel nulla ratione dijudicandis, pleno adhuc valere vigore, præsertim capp. 14 et 15 de causis ex decimis et modo decimandi oriundis, qvatenus

hujus fundamenta congruenter cum constitutione decimali Gissuri episcopi (d. 1097) depromat.

E rescriptis regiis cum historia collatis efficitur, utrumqve Jus ecclesiasticum Thorlaco-Ketillianum et Arnæanum a populo sancitum esse, præter hujus cap. 4tum de jure patronatus agens, qvod in foro generali nunqvam perferri potuit, illud autem facile atqve lubenter, hoc difficulter et ægre laicos admisisse; regiam deinde confirmationem utrumqve nactum esse, prius anno 1264 (cap. 4 § 3), hoc certe 1355; utrumqve tandem a variis variis temporibus adhibitum fuisse, cum illud laici seqvi gestirent, hujus vero auctoritas ex imperio clericorum maxime penderet, cujus iterum augendi causa illi adhærerent.

§ 7.

De præceptis Juris eccl. Arnæani jus patronatus privatis competens spectantibus cum legibus ecclesiasticis norvegicis collatis.

De jure patronatus Islandorum in superioribus disserentes, ostendere studuimus, sacerdotis sacris præficiendi et bonorum ac redituum ecclesiasticorum administrandorum potestatem antiqvitus penes templorum conditores atqve dominos fuisse. Si hinc ad Norvegiam transimus et comparationem inter antiqvissima utriusqve terræ templa instituimus, id utraqve commune habent, qvod juris patronatus, qvatenus privatis competebat, primam origiuem ab ethnicismo inde repetunt; sed mox deinde a se invicem

divergunt. In Norvegiam qvippe religio christiana a regibus per episcopos introducta fuit, qvare jam inde ab initio horum regimini ecclesiæ constitutio et explicatio ita subjecta fuit, ut qvædam publica ibi templa statim exstruerentur, qvæ templa toparchialia vocabantur; ad hæc sola, nec alia a privatis condita, illæ partes referendæ videntur, qvæ parochianis in vocatione sacerdotis concessæ fuerunt, cum episcopus sacerdotem a colonis templo toparchiali præfectum removendi jus non haberet, nisi a testibus tantæ ignorantiæ convinceretur, ut muneri gerendo impar haberetur [128]). Institutum qvoqve eo tendens, ut juvenes a privatis ecclesiarum patronis suis impensis alendi ad sacra peragenda formarentur, de qvo Jus eccl. Vet. cap. 13 agit, Islandis erat proprium, Norvegis vero prorsus ignotum. Neqve has in sacerdotum vocatione partes parochianos Norvegicos diu tenuisse, ex antiqvis legibus ecclesiasticis constat; namqve in Jure eccl., legi Heidsiviensi inserto et ante annum 1247 concinnato [129]), cap. 24 constitutum fuit, ut *episcopus* ecclesiis eos sacerdotes præficeret, qvi infantes baptizare, confessiones audire, templa servare, munusqve rite administrare valerent; similiter etiam in lege Gulensi cap. 14 (Jus eccl. Sverr. cap. XVIII)

[128]) cfr. Jus eccl. Vicens. Cap. XII.

[129]) Ante hunc annum Jus istud conscriptum esse, inde patet, qvod in cap. 3, veritatis, per ferri candentis gestationem, probatio, hoc ipso anno abrogata, commemoratur.

jus episcopi circa ecclesias ita difinitum est, ut sacerdotes sacris administrandis idoneos et colonis acceptos ecclesiis præficiat; et in Jure eccl. Bjarköensi (Coll. Pans p. II, pag. 267) pastores muneri gerendo pares et parochianis gratos vocandi potestas ad episcopos refertur. Hæc autem conditio, cui jus sacerdotis vocandi episcopis competens in antiqvioribus legibus norvegicis adstringitur, crescente hierarchia et episcoporum imperio, omnino deinde sublata fuit, et vocatio soli episcoporum arbitrio relicta; cfr. Jus eccl. Jonæ Archiepisc. cap. 11. Qvod dominium in templa eorumqve possessiones attinet, hoc in omnibus legibus eccleciasticis norvegicis episcopis permissum est; qvod iis tanto facilius subjici potuit, qvanto citius templorum institutio publicum qvasi habitum ibi induit et ad unitatem catholicam redigi potuit; unde factum est, ut hic episcopalem auctoritatem, non cum privatis templorum possessoribus, cev disjectis ecclesiæ membris, in unum colligendis, certantem, sed contra reges nitentem, et potestatem Canonicorum sibi subjiciendam qvandoqve cohibentem, deprehendamus. Legibus norvegicis, et nominatim Juri eccl. Jonæ archiepiscopi, qvod jus patronatus attinet, Jus eccl. Arnæanum omnino congruum est, cum et vocationem sacerdotum et bonorum ecclesiasticorum administrationem episcoporum moderamini subjiciat. Dicit qvidem cap. 4, in singulis ecclesiis, secundum libros templorum daticos, sacerdotes episcopo esse

constituendos, sed hanc conditionem sive regulam, episcopo in vocandis pastoribus tenendam, ad jus vocationis episcopo competens circumscribendum allatam esse, admittere vetant et reliqva omnia hujus Juris præscripta, et tota auctoris agendi ratio atqve vita, in promovenda episcoporum potestate consumta et collocata; qvare libris templorum daticis commemorandis, ad sustentationem et salarium sacerdotum, juxta eos in singulis locis constituendum, respexisse videtur. Qvamvis autem Jus Arnæanum in jure patronatus ad episcopos transferendo cum legibus norvegicis conspiret, in eo tamen ab iis dissentit, qvod cum Jure eccl. Vetere, sive Thorlaco-Ketilliano, templi conservandi et reficiendi officium possessori ejus injungit, cum hæ omnes et ipsum Jus eccl. Jonæ archiepisc. cap. 8 onus istud parochianorum humeris imponant. Si vero ita sibi ipsi repugnare videatur, cum de templi possessore sensu catholico sermo esse non possit, singulari tamen templorum islandicorum origine et parochiarum efformatione factum est, ut ad parochianos onera vel jura harum rerum tum extendi neqvirent. Ex iis, qvæ de primitivo utriusqve terræ statu ecclesiastico dicta sunt, apparebit, hoc inter leges norvegicas et Jus Arnæanum discrimen obtinuisse, qvod, cum illæ præsentem ecclesiæ conditionem plerumqve exprimant, hujus præceptis cum statu ecclesiastico, ad imaginem sui formando, per longum temporis spatium assiduo pugnandum fuerit.

Cap. 5.

DE MUTATA PER REFORMATIONEM ADMINISTRATIONE ECCLESIÆ.

§ 1.

De vocatione sacerdotum ad beneficia.

Qvando de Reformationis Lutheranæ in Islandiam introductione sermo est, hoc ita non est intelligendum, ac si repentinam totius rei ecclesiasticæ mutationem provocaverit et subito formas rerum inveteratas radicitus evulserit; qvamvis enim principia Reformationis ibi mox adessent, eorumqve finis et intentio simul innuerentur, tarde tamen atqve segniter ob impedimenta tam externa qvam interna enucleari potuerunt, rerumqve ecclesiasticarum dispositio per longum temporis spatium fluctuans, ad formam hodiernam per varios abusus et vicissitudines tandem pervenit; qvod vocatio ecclesiæ ministrorum abunde testatur. Tempore Reformationis episcopi ad omnia tam publica qvam privata templa sacerdotes vocandi potestatem sibi arripuerant, exceptis tantum qvatuor ecclesiis, supra in cap. 3, § 3 commemoratis, qvam potestatem, ut in Dania, sic etiam in Islandia Ordinatio regis Christiani Tertii ab episcopis abstulit, et vocationem, nisi jus patronatus certæ cuidam personæ competeret, per curiales fieri jussit [130]). Hæc

[130]) Mandatum qvippe fuit, ut curiales qvam primum mortem parochi præposito indicarent, qvi sine mora, aut alius qvidam primarius sacerdos ejus loco, si ipse adesse

vero Ordinationis præcepta, principiis Reformationis omnino congrua, primis 30 æræ reformatæ annis in Islandia applicari non potuerunt, partim ob doctorum penuriam, partim qvia periculum erat, ne plebs, catholicæ religioni addicta, sui tantum similes eligeret; qvare pristina vocandi ratio apud episcopos intacta mansit, donec rex Fridericus 2dus edicto 27 Martii 1563 eam denuo episcopis ablatam, curialibus secundum Ordinationem ita deferret, ut electionem sacerdotum a regio Islandiæ præfecto simul confirmari juberet. Huic vocationis juri episcopi valde inviti renuntiarunt, qvare etiam paræcias nonnullas, cathedris episcopalibus subjectas,

---

neqviret, in templo paræciæ vacantis appareret, ibiqve festo qvodam die coram freqventi concione, ardentibus ad Deum precibus fusis, ab eo dignum officio defuncti successorem expeterent, et si unus vel plures officio gerendo pares, ut sui ab eligendi potestate gaudentibus ratio haberetur, optarent, illis, ut intra bimestre tempus concionem coram populo haberent, concederetur; qvo facto, præpositus septem primarios curiales ad futurum sacerdotem unacum ipso eligendum denominaret, et cum eo libellum collationis subscriberent, qvem electus ad episcopum perferret, qvi eum per litteras satrapæ regio, aut ejus absentis vicario, commendaret, acceptis autem codicillis confirmationis, ad episcopum rediret, et ab eo inauguratus se præposito iterum sisteret, qvi eum cætui competenti publice commendaret. Cfr. etiam hac de re C. T. Engelstoft commentat. "Om Beskikkelse af Kirkens Tjenere i den danske Kirke fra Reformationen til vore Tider" in Theol. Tidskr. Vol. 5, 1841.

patronatus jure confisi, diu conferre studebant [131]), necnon in vocationem, a satrapa confirmandam, ita vim exserere, ut per præpositum sacerdotem curialibus eligendum proponerent. Deinde vero hæc vocandi ratio mutata est mandato regis 10 Maii 1737, qvo satrapis potestas concessa fuit, omnes in Islandia præbendas conferendi, iis tantum exceptis, qvarum annui reditus centum imperiales aut æqvarent, aut superarent [132]); hoc autem jus postea rescripto, dato 29 Jan. 1740 ita determinatum fuit, ut omnes illæ, qvarum annui proventus inter 40 et 100 imperiales consisterent, a satrapa qvidem conferrentur, verum litteræ collationis a rege deinceps confirmari deberent [133]); qvæ potestas rescriptis

---

[131]) Episcopos tales minores præbendas, ex gr. *Skeggjastaðr* et *Möðrudalr* in toparchia Mulensi, ad annum circiter 1666 contulisse, ex episcopi B. Svenonii epistolarum Collectione apparet; qvi qvoqve prædia *Dvergastein* et *Ás* in beneficia transmutanda donans, sacerdotis ad ea vocandi jus episcopis Schalholtensibus reservavit.

[132]) Hæ sunt: *Breiðibólstaður* in *Fljótshlyð*, *Grenjaðarstaður*, *Oddi*, *Staðastaður* (alias *Staður á Öldu-hrigg) et Hitardalur.*

[133]) Hæ nostro tempore sunt, ni fallor, numero 47, nempe: 1. *Arnarbæli.* 2. *Borg.* 3. *Breiðibólstaður á Skógarströnd.* 4. *Breiðibólstaður í Vesturópi.* 5. *Eidalir.* 6. *Garðar.* 7. *Gaulverjabær.* 8. *Glaumbær.* 9. *Gufudalur.* 10. *Háls.* 11. *Helgafell.* 12. *Hjarðarholt.* 13. *Hitarnessþing.* 14. *Hof í Vopnafirði* (Rescr. 4 Nov. 1796). 51. *Holar.* 16 *Hólmar.* 17. *Holt undir Eyjafjöllum.* 18. *Holt í Önundarfirði.* 19. *Hrafnagil.* 20. *Hrafn-*

3 Junii 1754 et 18 Apr. 1771 in universum confirmata fuit. Ita episcopi omnes in provisione Beneficiorum partes amiserant, cum rescripto 11 Maii 1782 constitutum fuit, ut episcopus tres candidatos proponeret, e qvibus unum præfectus eligeret; qvæ tamen regula difficulter et ægre servari potuit; numeri enim ternarii ambiguitas mox dissentionis inter satrapam et episcopum Schalholtensem causa exstitit, cum ille rescriptum hocce ita explicaret, ac si iste numerus ab episcopo semper servandus esset, hic vero ab eo recedendum esse putaret, qvando tres apti officioqve digni candidati proponi neqvirent. Hinc uterqve rem ultro citroqve per mutuas litteras agitatam, ad Cancellariam regiam detulerunt, rogantes, ut litem resecare vellet; qvibus (12 Jan. 1788) respondit, cum in Islandia nonnullæ adeo viles parochiæ reperirentur, qvas vix unus, nedum plures affectare cuperent, rescriptum commemoratum

---

seyri. 21. *Hruni.* 22. *Hvammur.* 23. *Höskuldsstaðir.* 24. *Kálfatjörn.* 25. Parochia monasterii *Kirkjubæensis.* 26. *Kirkjubær í Tungu.* 27. *Laufás.* 28. *Melstaður.* 29. *Miklaholt.* 30. *Múli.* 31. Parochia monasterii *Mödruvallensis.* 32. *Reykholt.* 33. *Reynivellir.* 34. *Saurbær.* 35. *Selárdalur.* 36. *Setberg.* 37. *Skarð & Búðardalur.* 38. *Skorrastaður.* 39. *Staðarbakki.* 40. *Staður á Reykjanesi.* 41. *Stafholt.* 42. *Útskálar.* 43. *Vallanes.* 44. *Valþjófsstaður.* 45. *Vatnsfjörður.* 46. Parochia monast. *Thingeyrensis* (Resol. 5 Apr. 1837). 47. Parochia in insulis *Vestmannorum* (Resol. 7 Junii 1837 et Epist. Canc. 20 Oct. 1837).

aliter non posse intelligi, qvam qvod episcopus semper, qvantum fieri posset, ei rei studere deberet, ut tres eorum, qvi præbendas vacuas peterent, maxime gnavos proponeret; ideoqve, qvando trium candidatorum optio non esset, ne grex pastore careret, e commendatione episcopi curionem esse eligendum. Sed aliæ qvoqve haud mediocres difficultates ex hac vocandi ratione ortæ sunt; lautiorum qvippe præbendarum plures candidatos se profitebantur, qvam episcopo proponendi essent, viliores autem vix ullus affectabat, et præterea sacerdotibus bene meritis ex una in alteram dioecesin via abscindebatur, cum suæ qvisqve dioecesi adscriptus, in censum venire neqviret, dum satrapæ in vocandis parochis ad tres istos ab episcopo, in cujus diæcesi præbenda vacaret, propositos unice respiciendum fuit. Huic rei medelam attulit rescriptum datum d. 2 Dec. 1791, ex qvo hodie vocatio sacerdotum fieri solet; hoc enim constitutum fuit, qvotqvot supplices ad satrapam litteras mitterent, in eas omnes episcopo testimonia sua esse exaranda, qvo facto, fidei ac religioni satrapæ vocationem esse relinqvendam; si vero unus tantum vel duo officio digni viliores præbendas peterent, episcopum opus non habere plures proponere; minimas vero parœcias, si nemo eas ambire vellet, e rescr. d. 10 Maii 1737 alicui e schola latina dimisso, regioqve ibi beneficio diu sustentato, demandandas esse; bene deniqve meritis sacerdotibus liberum ex una in alteram dioe-

cesin aditum patere, ita tamen, ut neminem, nisi litteris commendaticiis alterutrius episcopi fultum, ad munus ecclesiasticum vocare præfecto liceret. Diutissime episcopi jus sacerdotes ad cathedras episcopales vocandi, rescripto d. 1 April. 1740 confirmatum, retinuere; cum enim e principiis Reformationis concionandi officium, cev gravissima muneris ecclesiastici pars, episcopis qvoqve injunctum esset, parochi cathedrarum episcopalium, ut comministri eorum spectabantur. Hos autem vocandi potestatem anno tandem 1791 die 2 Dec. episcopis pariter ac Satrapæ Islandiæ ademtam, rex ipse sibi reservavit [134]). Hæc de vocatione ad munera eccle-

[134]) Qvantopere regulæ, qvibus vocatio ad munera sacra in Islandia dirigeretur, sæpius fluctuaverint et qvam incertis viis vagatæ sint, hujus terræ historia, cum rescriptis regiis ad tales abusus abrogandos datis, collata, satis docet. Tales primum abusus innuit rescr. Christ. 4ti d. 4 Martii 1595, qvo cautum est, ne qvis præfectorum regiorum ullum ad officium sacerdotale legitime vocatum, præbenda ullo sub prætextu privaret, qvamdiu munere suo rite fungeretur; deinde, si qvis regias litteras aut codicillos officii emendicare posset, qvi illi præbendam, a præfectis aliis concessam, cooferrent, priorem collationem posteriori præferendam esse; deniqve, ne qvis satrapa antecessoris confirmationem sine legitima causa mutaret. Nihilo tamen minus postea haud raro accidit, ut qvidam illas a rege sibi expeterent præbendas, qvas præfecti regis nomine jamdudum aliis demandaverant, unde sæpius lites et dissidia orta sunt; qvæ rescr. d. 3 Maii 1726 aliqvantum cohibita, penitus sedavit aliud rescriptum d. 21 Nov. 1749, qvo cautum fuit, ne qvis ad præbendas, a præ-

siastica in universum monita sunt, nulla patronatus juris, privatis templorum possessoribus competentis, ratione habita, cum huic exponendo seqvens caput assignatum sit.

§ 2.

De reditibus ecclesiasticis imminutis et administratis.

Exorta Reformatione Lutherana, aureum redituum ecclesiasticorum seculum occidit. Fundamento enim superstitionis, qvo complures reditus

---

fceto semel alicui concessas, in posterum adspiraret. Usu qvoqve sæpius venit, ut vacuas melioris notæ præbendas homines indocti atqve rudes, ad præfectum regium ejusve vicarium propere tendentes, inscio episcopo, affectarent, qvod procul remotis, etsi bene meriti diuqve vilissimis parœciis non sine laude inserviissent, sæpe impedimento fuit, qvin se candidatos tempestive sisterent, cum haud raro præfecti, ut se auctoritate episcoporum eximerent, litteras collationis nimis præcipitanter expedirent; qvo factum est, ut viliores præbendæ et qvæ procul distarent, parocho destitutæ, per longa temporis intervalla vacuæ manerent, cum ne studiosis qvidem persvaderi posset, ut eas ambirent. Hos abusus cohibuit rescr. d. 19 Jan. 1742, qvo cautum est, ne ulla in quemqvam a præfecto conferretur præbenda ante elapsas sex septimanas a morte sacerdotis, nec ulli studioso, e scholis latinis dimisso, nisi aut in Universitate Havniensi examen theologicum absolvisset, aut Rectoris Conrectorisve munere functus esset, ad mediocres, et qvæ mediocres meliores vocantur, præbendas aditus pateret, qvamdin alii reperirentur, qvi vilioribus parœciis inserviissent, vacuisqve præbendis administrandis ab episcopo digni haberentur.

templorum et sacerdotum superstructi erant, corruente, cleri qvoqve dominium cum tributis hinc oriundis evanuit. Animus qvoqve humanus ita comparatus est, qvod omnium temporum experientia confirmat, ut, ex errorum et ignorantiæ vinculis ereptus, vires suas in omnes partes extendere simulqve jugum corpori impositum excutere conetur, et propter arctissimum inter externam internamqve libertatem nexum, et qvia arduum est, fervorem animi, sive libertatem accenderit, sive per libertatem excitatus fuerit, rationi convenienter moderari; qvæ in Islandiam tanto melius qvadrant, qvanto major inscitia et studiorum defectus tempore Reformationis ibi regnarunt; magno enim hujus ecclesiæ malo accidit, ut, bonis literis nondum renatis, nec ulla publica exstante schola, sacerdotes adeo rudes essent, ut a plebe parvi æstimarentur eorumqve contemtus in ipsam fidei doctrinam et sacra transiret; qvo factum est, ut magna, qvæ in templa eorumqve ministros antea vignerat, munificentia penitus cessaret, et pleriqve templorum reditus incerti, supra in cap. 2, § 7 commemorati, abrogarentur. Huc etiam accessit, qvod, cum elementa ecclesiastica et civilia, qvæ sub papatu permixta fuerant, per Reformationem dissociarentur, et horum moderamen atqve dispositio singularum terrarum principibus cederent, externam ecclesiæ islandicæ formam ordinandam rex Daniæ reformatorum curæ demandavit, qvi a templorum ornamentis auferendis, monasteri-

orum abrogatione eorumqve possessionum reductione, reformationem ordiebantur. Attamen templis prædia iis qvondam assignata, juraqve ac privilegia secundum libros daticos singulis attributa, et e reditibus, qvarta decimarum pars, pensio candelarum et pretium sepulturæ, integra manserunt, qvorum omnium administratio, ut antea, sic etiam post Reformationem, ipsis sacerdotibus aliisqve templorum possessoribus concredita fuit, hoc tamen discrimine, qvod, cum temporibus catholicis tributa ecclesiastica non tam imperata qvam voluntaria spectarentur, eorum detentioni minas et mulctas leges ecclesiasticæ intenderent, jam vero, rebus ecclesiasticis ab imperio politico separatis, civili manu ad ea conqvirenda interdum opus esset, qvod etiam rescripto 11 Apr. 1781 sancitum est, et constitutum, ut talia, nisi justo tempore solvantur, per exactionem toparchæ consectentur. Cum vero sacerdotes e bonis templorum magna ex parte vivant, aliiqve templorum domini eundem e suis templis fructum auferant, in id nobis inqvirendum est, qvænam ipsis templis et qvæ illorum administratoribus cedant. Qvomodo episcopi catholici a beneficiariis et privatis templorum dominis annuas redituum ecclesiasticorum rationes exegerint, supra in cap. 3, § 7 expositum est. Post Reformationem hac in re variis varii episcopi viis institerunt; dum enim nonnulli cum tutoribus templorum pactionem fecerunt, ut annuos reditus ipsi retinerent, templa vero eorumqve bona,

qvocunqve tandem nomine venirent, integra conservarent omnesqve illorum expensas promte bonaqve fide solverent, annuas illorum rationes alii severe computarunt, horumqve instinctu rescripta d. 6 Maii 1740 et 19 Maii 1747 edita sunt, qvibus mandatum fuit, ut rationarium ad qvodvis templum institueretur, in qvod, a præposito obsignatum, omnia templorum bona, inventaria, annui reditus et expensæ inscriberentur. Hæ templorum rationes ab eo inde tempore ad nostram usqve ætatem viguerunt, et in tabulam qvotannis referuntur, qvæ duas rubricas continet, qvarum una reditus altera expensas superioris anni comprehendit; reditus autem, qvorum annuæ rationes reddendæ sunt, efficiunt: *qvarta decimarum pars*[134]), *pensiones candelarum*[135]), necnon *tribu-*

---

[134]) Hodie decimæ, prout annua mercium taxatio a magistratu ex utroqve temperanda et constituenda, uniuscujosqve rei pretium definit, solvendæ sunt (Edict. 30 Mart. 1836, § 5. Epist. Canc. 22 Januar 1822).

[135]) F. Johannæus in Hist. Eccl. T. 3, p. 685 monet, Jonam Vidalinum episcopum Schalholtensem (1687—1720) antiqvam de pensionibus ad candelas ecclesiasticas a conjugibus et cælebibus erogandis, qvæ tum in desvetudinem abiisset, constitutionem ita renovasse, ut conjuges doodecim, cælibes autem sex obolos eo nomine penderent. In constit. 17 Julii 1782, § 13, jussi sunt omnes, viri pariter ac mulieres, qvi villicationem et famulitium habeant, integram candelarum pensionem duabus sevi libris, aut 26 obolis, vulgari tum illarum pretio, erogare; inqvilini autem dimidiam pensionem, fixoqve domicilio destituti (Lösemænd) 24 obolos

tum pro sepultura[136]); reliqvarum possessionum templorum fructus ad competentes dominos eorum redundat. Sed ex altera parte usu in Islandia receptum est, — qvod etiam ex ipsa rei natura seqvitur — ut a præfecto regio et episcopo beneficiarii jubeantur, ad accepta expensaqve templorum æqvanda, qvæ proventibus eorum moderari neqveant, suis

---

templo pendere; sed observandum est, talem mercium secundum nummos æstimationem jamdudum abrogatam esse, ejusqve locum annuam harum rerum taxationem occupasse, qvæ hodie publicarum erogationum normam efficiat. In dioecesi Schalholtensi antiqvo more receptum fuerat, ut famulitium ac omnes, qvi e sexaginta pluribusve ulnis islandicis decimas solverent, candelarum tributum templis qvotannis præstarent; hac vero et Holana dioecesi, ubi consvetudo ista nunqvam invaluerat, in unum conjunctis, borealis et orientalis Islandiæ præfectus anno 1804 (4 Sept.) per litteras a Cancellaria regia veniam expetivit, hunc morem, templis opportunum, in præfecturam qvoqve sibi concreditam, qvæ Holanam dioecesin efficeret, introducendi; qvæ res, cum plebi novum onus imponeret, prius non sancita est, qvam resolutione regia 21 Maii 1817, qvæ tamen has expensas ita circumscripsit, ut dimidiam modo candelarum pensionem a famulitio et inqvilinis, supra nominatis, erogari juberet.

[136]) Constit. 17 Julii 1782 sepulcrum pro unoqvoqve 54, sed pro edentulo 27 obolis redimi jussit, qvod si tunc præscripto Juris eccl. Veteris congruum esset, fluctuans tamen temporis decursu nummorum valor templis haud parum damni attulit; unde qvoqve edicto regio 8 Martii 1843 pro nummis ulnæ substitutæ sunt, ita ut hodie pretium sepulturæ ad normam antiqvissimam redactum sit.

sumtibus supplere, ita ut, qvando templum in justo statu, aut cum legitima compensatione acceperint, pro ejus instauratione aliisqve necessitatibus spondere debeant, necnon illud suo tempore cum omnibus ejus bonis simili modo successori tradendum curare (Epist. Canc. 14 Maii 1833 et 24 Maii 1834); si qvis vero in usus templi plus pecuniæ impenderit, qvam cujus rationem reddere debet, reditibus temporis futuri, dum in eodem officio manet, ne qvod iniqvum in successorem onus devolvatur, unice restituitur. Nec tamen sine omni discrimine hæc regula semper servata fuit; interdum enim, venia regis aut Cancellariæ impetrata, templum aliqvod et ædes cathedrales reliqvorum dioecesis templorum sumtibus exstructæ fuerunt; interdum etiam clementia regia beneficiariis hoc nomine certam pecuniæ summam concessit; nec raro, qvando templa sumtuose adeoqve firmiter exstructa fuerunt, ut facile prævideri potuerit, illa per complures annos qvamcunqve tempestatis injuriam esse propulsatura, successiva ex annuis templi reditibus debiti solutio permissa est. Tandem qvandoqve beneficiariis licuit, superfluum templorum inventarium, ad resarciendas expensas, in eorum exstructionem factas, divendere. Hæ vero exceptiones unice de beneficiariis, non vero de privatis templorum possessoribus, valent.

Cap. 6.

DE PATRONATUS JURE POST REFORMATIONEM.

§ 1.

De conservatione juris patronatus.

Qvamvis episcopis catholicis nil magis curæ cordiqve esset, qvam jure patronatus et possessione templorum laicos privare, multa tamen tempore Reformationis ad privatos templa pertinuerunt. Jam vero jura patronatus templorum publicorum, qvæ episcopi sibi arripuerant, regi, ut summo ecclesiæ moderatori, cesserunt, qvamvis primis post Reformationem temporibus ab episcopis usurparentur; mutataqve per Reformationem ecclesiæ et principiorum, qvibus res sacræ administrarentur, notione, jus patronatus privatis competens retinebatur, et ex eo inde tempore templorum privatorum numerus auctus est; templa enim in monasteriis, per Reformationem reductis, constituta, rex sensim auctione divendenda curavit, et templa cathedrarum episcopalium, Schalholtensis 1790 et Holanæ primis hujus seculi annis, cum aliis ad eas pertinentibus, ad privatos transierunt. Sed ut rite intelligatur, qvomodo jus patronatus post Reformationem conservatum fuerit, necesse est, de partibus patronorum in vocandis ecclesiæ ministris dominioqve templorum, illis competente, sigillatim agamus.

§ 2.

De jure vocandi ad templa privatorum.

Episcopos sacerdotum ad templa privata vocandorum potestatem ante Reformationem sibi magis magisqve vindicasse, supra cap. 3, § 4 monitum est. Qvamvis ex Ordinationibus regum Christiani Tertii et Christiani Qvarti jus vocandi ministros ecclesiæ privatis templorum patronis non ademtum sit, cum jus patronatus, personæ alicui competens, a communi vocandi regula exceperint et subseqventia regum rescripta provisionem ecclesiarum ad Ordinationum præscripta fieri identidem jusserint, vereor tamen, ne his legum præceptis nimium tribuatur, si positiva et specialis, ut ita dicam, juris istius confirmatio inde elicienda sit; primum enim in Ordinationibus istis jura patronatus omnino in universum commemorata sunt, nulla singulari in Islandiam applicatione facta, nec subseqventia rescripta vocationem ad normam ab Ordinationibus præscriptam ideo fieri inculcarunt, ut privati templorum patroni jus suum asseqverentur, sed ut vocatio ab episcopis ad curiales transferri et varii abusus abrogari possent; deinde qvoqve observandum est, in ingenti illo rescriptorum regiorum de vocatione ad munus sacerdotale post Reformationem editorum numero, nullam sacerdotis vocandi juris, privatis in Islandia templorum possessoribus competentis, mentionem factam esse. Attamen diu post Reformationem privati templorum patroni aliqvas in pro-

visione præbendarum partes tenebant, cum et pastores domesticos sacris in paræcia templo suo annexa obeundis sustentarent, nec sacerdoti parochiali officio ibi fungi permitterent, qvod episcopis conniventibus factum esse videtur; sed post Rescriptum Christiani 4ti de sacerdotum ad ministerium ecclesiasticum vocatione, datum 22 Nov. 1622, tales abusus rarius occurrunt; eo enim inter alia constitutum fuit, ut nemo prius sacris inauguraretur, qvam aut ad certam aliqvam præbendam, aut comminister alicujus parochi vocaretur. Neqve ad legitimam juris patronatus usurpationem, sed ad arbitrariam episcoporum agendi rationem referendum est, qvod primi post Reformationem episcopi ditissimis optimæqve notæ laicis ea conditione præbendas concedebant, ut juvenem sacris operantem sustentarent; hæc enim consvetudo non solum templorum possessores, sed alios qvoqve primates, ut nomophylaces atqve toparchas, comprehendit, cum discipuli scholas latinas jampridem instauratas freqventantes religione evangelica imbuti ad eam ætatem nondum pervenissent, ut reditnum ecclesiasticorum administratio iis concredi posse videretur. Christianus qvidem Tertius anno 1555 severe interdixit, ne in laicos præbendæ conferrentur, sed conventio Bessastadensis eodem anno facta, huic mandato morem geri posse negavit[137]), et per priorem seculi decimi septimi

[137]) Rescripto Neoburgi die Mercurii proxima post dominicam Oculi 1555 dato, rex Christ. 3tius satrapam Islandiæ

partem laici prædia parochialia interdum tenuisse videntur; sed accuratius definiri neqvit, nam, si pastores domestici usqve ad annum 1650 aut diutius commemorati reperiantur, dubium est, utrum ad privatos templorum patronos, an ad laicos, præbendis ab episcopis, nulla patronatus ratione habita, præfectos, referendi sint. Qvamdiu parochi a curialibus vocati fuerunt, privati templorum patroni in designanda persona et libello electionis subscribendo

unacum episcopis, nomophylacibus et qvibusdam melioris notæ viris legem de variis rebus ecclesiasticis delineare jussit, qvi dicto audientes, Bessastadis eodem anno convenerunt, ac de rebus propositis sententiam dixerunt, qvæ communiter vocari solet *Bessastaða samþykkt* ɔ: Conventio Bessastadensis. De præbendarum collatione ita loqvitur: – – – "Nobis necessitatis causa visum est, cum adhuc dum e senioribus non tam profunde in Dei Evangelio docti viri præsto sint, qvi recte prædicare qveant, aut omnibus beneficiis præfici, præsertim cum personæ scholam freqventantes, nondum ad eam ætatem pervenerint, ut iis talia pastorum prædia concedenda sint, ut et si morbus vel epidemica lues pastoribus, qvi concionari noverunt, inciderit. Hinc nobis visum est, bono cum Vestræ Regiæ Majestatis consilio et mandato, convenire, qvamvis honesti, fide digni et pii laici, qvi verbum Dei amant, beneficiorum, qvibus docti sacerdotes nondum præfici possunt, curam gerant, templa, domos et bona iis pertinentia conservent, ea conditione, ut laicus, præbendæ præfectus, in ejus prædio juniorem verbi divini ministrum, ab episcopo constitutum, sustentet, qvi verbum Dei parochianis proferat, donec ordinarius concionator et persona habilis inveniatur; cfr. Hist. Eccl. T. 3, p. 294.

primarias partes tenebant; hodie vero jus pastoris vocandi illis competens, cessante juris usurpatione, oblivioni datum est.

§ 3.

De jure privatorum in templa sua eorumqve possessiones.

Cum vocatio sacerdotum per curiales ad principia Reformationis proxime accedat, ex ea hoc nomine parum commodi ad privatos templorum patronos redundasse, non mirum est; si vero templorum eorumqve possessionum dominium spectamus, frena, qvibus ecclesia catholica illud coarctaverat, Reformatio magnopere relaxavit, cum jus subjectivum contra objectivam ecclesiæ auctoritatem vindicare conaretur, externamqve rerum ecclesiasticarum formam magistratui civili ordinandam traderet. Hinc factum est, ut privati templorum patroni templis eorumqve bonis, ut privata possessione, utendi, pignori eadem dandi, vendendi, donandi, dividendiqve potestatem per Reformationem nacti sint, ita tamen, ut pars templi onusqve illi adhærens bonorum partem pro rata seqvatur, taliqve modo hæc templa illorumqve possessiones idealem qvandam integritatem servent. Legibus qvoqve constitutum est, ut de talium templorum alienatione venditor et emtor intra unum mensem episcopum certiorem facere debeant [138]). Idem privatis templorum pos-

[138]) Ex edicto 8 Nov. 1726 idem qvoqve de Dania valet et 100 imperialium mulcta officium istud negligenti irrogata est.

sessoribus ac beneficiariis templum conservandi [139]) redituumqve qvotannis rationes reddendi officium incumbit; et præterea e constitutione in comitiis universalibus anno 1629 habitis, omnium suffragiis sancita, dimidium annuæ mercedis cujusvis vaccæ, qvam templa ipsorum possident, parocho pendere tenentur; deniqve observandum est, templa ad monasteria et cathedras episcopales olim pertinentia, qvorum alia jam divendita sunt, alia rex administranda curat, non majore qvam reliqva privatorum templa jure gaudere.

---

[139]) Hoc officium templorum patronis in Dania inculcat constit. 2 Apr. 1701: 25 Febr. 1733.

TABULA

NOMINA EPISCOPORUM IN ISLANDIA USQVE AD REFORMATIONEM EXHIBENS.

Episcopi Schalholtenses:	*Episcopi Holenses:*
1. Isleifus Gissuri filius (n. 1006) 1057-1080 *)	
2. Gissurus Isleifi (n. 1042) . . . . † 1118.	1. Jonas Ögmundi (n. 1052) . . . 1107-1121.
3. Thorlacus Runolphi (n. 1085) . . . † 1133.	
4. Magnus Einari (n. 1099) . . . . . † 1148.	2. Ketillus Thorsteini † 1145.
5. Klangus Thorsteini (n. 1102) . . † 1176.	3. Bjornus Gilsi † 1162.
6. Thorlacus Thorhalli (n. 1133) . . . † 1193.	4. Brandus Sæmundi . † 1201.
7. Paulus Jonæ (n. 1155) . . . . . † 1211.	
8. Magnus Gissuri † 1236.	5. Gudmundur Arii (n. 1160) . . . . . † 1237.
	6. Botolphus . . . † 1246.
9. Sigurdus Thettmari † 1268.	7. Henricus Caroli vel Kari . . . . . . † 1260.
	8. Brandus Sæmundi † 1264.
10. Arnas Thorlaci (n. 1237) . . . . . † 1298.	
11. Arnas Helgonis † 1320.	9. Jörundus Thorsteini † 1313.
	10. Audinus Rufus Thorbergi . . . . . † 1320.

*) Primum Isleifus usqve ad mortem 1080 et deinde filius ejus Gissurus usqve ad a 1107, totius Islandiæ episcopi fuerunt.

12. Jonas Halthori † 1339.
13. Jouas Indridi † 1341.
14. Jonas Sigurdi † 1348.
15. Gyrderus Ivari † 1360.
16. Thorarinus . . † 1364.
17. OddgeirusThorsteini † 1381.
18. Michaelis.
19. Vilchinus (sev Vilhelmus) . . 1394-1406.
20. Jonas Qvartus † 1413.
21. Arnas Olai . . † 1430. (alii 1420).
22. Jonas Gerichini (al. Jerechini) . . . † 1433.
23. Gotsviunus † circa 1448.
24. Marcellus.
25. Jonas Stephaui, *krabbe*. . . 1460-1465.
26. Sveno Prudens . . 1466-1476.
27. Magnus Ejulfi † c. 1490.
28. Stephanus Jonæ † 1519.
29. Ögmundus Pauli † 1542.
(30. Sigismuudus Ejulfi † 1537.)
31. Gissnrus Einari, pr. p. Ref. episc. † c. 1548.

11. Laurentius Kalfi (n. 1267) . . . . . † 1330.
12. Egillus Ejulfi (n. 1295) . . . . . † 1341.
13. Ormus Aslaki † 1356.
14. Jonas Erici *skalle*, sev Calvns † c. 1392.
15. Petrus Nicolai.
16. Beiner.
17. Jouas Tovæ . . . 1423.
18. Jonas Jonæ.
19. Jonas Vilhelmi . 1429-1435 († c. 1440).
20. Gotskalkus Gotskalki . . . 1444-1457.
21. Olans Rognvaldi † 1495.
22. Gotskalkus Nicolai † 1520.
23. Jouas Arii (u. 1484) † 1550.





